





2
3
261










2-3-2

XXXVIII

VI. M. [illegible]

[illegible] Nic[illegible]



HISTORIA
Translationis Corporis
SANCTI NICOLAI
Terris, Marique Miraculis Magni Episcopi
è Myra Lyciæ Venetias factæ anno M.C.

QVO TEMPORE ETIAM NICOLAI ALTERIVS, EIVSDEM Auunculi, ac Theodori Martyris, Vtrorumq; Episcoporum corpora simul feliciter deducta sunt.

Per VV.CC. Heinricum Contarenum Castellanum Episcop. & Ioannem Michaelem Vitalis Veneti Ducis Filium, Ducentarum Nauium In Sacro Bello pro pijssima Veneta Rep. Præfectos.

Reconditaq; apud Littorenses Monachos propè eandem Vrbem.

AVCTORE
FORTVNATO VLMO
Veneto Casinensi Monaco.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.



VENETIIS, MDCXXVI.
Ex Typographia Deuchiniana.



VENETIÆ. A. DEO. O. M. PROTECTÆ
CARÆ. PATRIÆ. DVLCI. PATRIÆ
SERENISS. VRBIS. PRINCIPI. IOANNI. CORNELIO
INVICTISSIMIS. SENATORIB. NOBILIB. CVNCTIS
RERVM. DOMINIS. GENTI. TOGATAE
TVRBVLENTISS. HOCCE. IPSO. TEMPORE
. Q V O .
TERRIS. MARIQ. FATIGAMINI
MAGNVM. TVTELAREM. NICOLAVM
MARI. TERRISQ. INCLYTVM
AD. MENTEM. REVOCO
CVIVS. CVM. SVPRA. QVINGENTIS. AB. HINC. ANNIS
SACRVM. VERISSIME. CORPVS
OBTINEATIS. COLATIS
SPE. OBSTINATISSIMA. VESTRVM. AVGVROR
MARIS. TERRARVMQ. PERPETVVM. IMPERIVM
QVA. VOBIS. FIDE
HANC. HISTORIAM. SPONTE. CONSCRIPTAM
DONO. HVMILITER. DICO
FORTVNATVS. VLMVS. VENETVS. CASINAS
M DC XXV.


III

DE TRANSLATIONE CORPORIS S. NICOLAI MAGNI

Episcopi, è Myra Lyciæ Venetias

AVCTORE

FORTVNATO VLMO.





Magni ipsius Nicolai subsidia scripturus imploro. Quo enim alio potiùs fauente præsens nouerit ætas, vt clarißimus Antistes verè apud Venetias conditus sit? Iam nunc supra quingẽtos quinque ac viginti præter fluxere anni, quando Sacrũ Episcopi Corpus (Ita potiorem partem nuncupo) Heinricus Contarenus (Castellanus Præsul, ac Ioannes Michael Veneti Ducis filius Venetias deduxere. Sed iacet hodie ferme historia, quam tamen priora sęcula apertiùs nouerunt. Veneti vtcumque nunquam-

non

non Sanctum Episcopi Corpus constantissimè, ad se deductum, venerati sunt. Quam rem vt prius euenerit, narrare in animo est, firmare deinceps argumentis. Historiam accipio è vetustissimo codice Anonymi quidem auctoris, verùm, quemadmodum è stylo ipso coniycio, qui rem tantam fortunatissimè vidit. Sanè Dandulus prior, ac Veneti omnes ex ipso, tum plures ex exteris deinde exscripsere. At perperam alicubi percepto vetustissimo eo auctore, qui prior factum enarrauit, hinc confusa temporum supputatio non apud nostrates modò, sed apud exteros quoque digniores. Nam præter Venetos, alieni quoque, qui vniuersim sacras historias conscripsere, Nicolai (inquam iterum) Magni, Corpus Venetias deductum, egregio testimonio confessi sunt. Ipse interim haud alijs, verùm vnico Manuscripto codici mox relato, potissimum nixus, rem scribere aggredior. Neque enim tēpora turbauit eius auctor: neque Barensi translationi vnquam detraxit: quòd verè vtraquè secuta sit, perpendendum potiùs promouit. Sed hoc ipsum postea ex ipsius verbis examinandum erit. Nunc historia sincerè enarranda. Vrbanus Pontifex eius nominis Secundus Christianos Principes, tum præcipuè Gallos anno MXCVI. ad redimendam è Saracenis Hierosolymam excitauit. Capta fuit à Nostris Sancta ea ciuitas anno Nonagesimo Nono supra Millesimum, victoribus

Gallis.

Gallis. Tum Godofridus Lotharingus Dux Regno illo victorum omnium ingenti consensu potitus est. Rem alij retulere. Veneti interea classem Ducentarum Nauium, vt concordant eius historiæ scriptores, exarmauerant: cui Ioannem Michaelem, Vitalis Principis filium, atque Heinricũ Contarenũ Castellanũ Episcopũ præfecerant. Pontifex enim (ait Faroldus) fortassis hũc Apostolici Legati munere decorauit. Scilicet veluti terris Podiensem Episcopum, ita Heinricum mari. Vtcumque volucri remigio Gallis suppetias delatura classis Littore soluit. Id factum anno Nono ac Nonagesimo supra Millesimum, saltem post Februarij mensem, e Gulielmo Tyrio perpendo, vt classis ante captã celeberrimam Tyr. li. 7 c. 16. & c. 21.
eam Vrbem in promptu fuerit. Verùm Anonymus obscurè scribens, tantùm Venetijs mouisse, atque ad Dalmatias primùm pertigisse, insinuat. Acceptis namque ibi, quæ ea regio auxilia impertijt, Rhodõ posteà claram Insulam petijsse; quod mense Octobri anno eodem MIC. euenisse habet: post scilicet captam Sacram Vrbem. Quare hìc scriptores illos tum Venetos, tum exteros (piget) explodere cogor, qui vt capiundæ Sacræ Vrbi, militem Venetum interfuisse, nunquam mutatis animis tuerentur: quæ inconstantia non protulere? Video perspicuè erroris germen è Dandulo, aliàs solertissimo pro Dand. chron.
dijsse: cui quis non adsentiretur? Penitiores quascumque

cumque membranas Serenißimus Princeps intueri potuit; ac rem ipsam Magni Nicolai, certè è codice eo, qui Venetijs apud Littorense Cenobium seruatur, exscripsit. Attamen deceptus, Anno inquit MXCVI. Corpus Venetias delatum est; Cum vetus ille auctor ad annum MC. si attentè legatur, factum astruat. Verùm properè à Principe euoluta historia, mendum peperit, nec dum extinctum. Ortus error inde est: quia cum reconditus ille codex rē ab anno MXCVI. narrare incipiat, quo ipso Urbanus Pontifex cruce insignitos milites prouocabat: Cruciatæ annū eum, initio vetustißimi exemplaris positum, Translationis Dandulus arbitratus est. Is sanè error deinde inualuit. Cuius cum ancipites alij iudices fieri conarentur: varietate, ac vaticinio rem confusiùs implicuere. At primarius ille codex, adhuc seruatus, firmiter historiam scribere progreditur. Classis igitur Veneta anno MIC. mense Octobri apud Rhodon insulam morabatur. Ibi enim se ab instantibus frigoris angustijs, quæ hieme asperiùs corpora afficiunt, magnis vtrisque Ducibus Contareno, ac Michaeli tueri visum fuit. Legati propterea inde mißi, qui nouum Regem Godofridum, ac Patriarcham ipsum, tum Raymundum, & Beamundum inclytos Principes de proximè aduentura classe certiores redderent. Ipsemet verò Contarenus Antistes inter legatos præcipuus fuit. Quo

nescio

nescio an absente, ortus inter Pisanorum aliam classem, ac Venetorum conflictus, nubila clarissima ea littora reddidit. Pisani enim eodem, ac Veneti consilio Rhodon appulerant. Crucis gens vtraque signo in vestibus munita erat, quod sanè, & milites cæteri præferebant. Sed nulla habita tantæ coniunctionis ratione, incerta dissidij causa, temerè Pisani in nostros impetum faciunt. Cęterùm statim victi (nescio an ita ipsi in Venetos, si fortè Victores) raro pietatis exemplo ad IVM. Pisanorum, quos captos alij trucidassent, Veneti abire, crucis amore tulere. Tantùm triginta sex, conditione obsides, ne iterum fides frangeretur, detenti sunt. Alexius Comnenus interim, Græcus imperator, qui Latinorum prosperis inuidebat: huiusmodi discordijs cachinno lætari. Saracenis potiùs fęlicia infidus precatus esset, quàm nostris. Etiã à Sanctissimis conatibus Christianos auellere, nec sine malignitate tentauit. Venetis tamen cæpta, Deo fauente, prosequi, immotum fuit. Quare nihil nisi tempora præstolari, quibus mare, cælum, algoribus mitigatis, pacatiora forent, statim Hierosolymas profecturi. Sed moras interim ab Simonis, & Iudæ festo die ad Octauum post Pentecosten apud Rhodon protendere coacti; Deinde soluentes, Myram Lyciæ Vrbem tenuere. Hanc paulò antea Turcæ inuaserant. E' quibus ad Quingentos littora tunc ibi

prędari mißi, qui explorarēt, socijs retulere. Verùm classis facilè alijs metum incutere. Nec sanè prædones territi exirent. Igitur vel pauci, dum classis ostio morabatur, vrbis vestigare statum. Templum priùs, vt singula sic auspicarentur à Deo, ingrediuntur; vbi Nicolai Magni Præsulis oßa reperiri constans adhuc fama erat. Neque enim Barenses totum Nicolai eiusdem corpus abstulerant; vix modicum ex ossibus, quod posteà clarius fiet. Clericis interim haud procul à Myra oppido, quod bis mille passus distabat, se continere mos fuerat. Visa autem Christianorum èminus mirabili claße; quia Turcæ declinassent, auxilij spe, tutò ad templum confugerant, numerosiores quàm vnquam. Nempe aut terni, aut quaterni secus ob metum, mutatis vicibus, sacra ad Magni Præsulis Phanum singulis hebdomadibus exoluebant. Plures necis imminentis formidine minimè accedere tentaßent. Cum itaque qui præcesserant exploratores quotidiana ea, quæ etiam cultui Diuino detrahebant pericula conspexißent: tā flebile Christianorum discrimen classis Ducibus retulere. Quare tunc visum Episcopo, ac Duci optimo fuit, sumenda fore exinde iuuandi primordia. Hinc arreptis armis, quàm primum securitati vrbis consultum. Incertum habeo ex Anonymo, an subegerint: sentiunt tamen alij, occupatam Vrbem. Eius certè mœnia primores ingreßi, ad

Ant. stella Elog.

ad Templi adytum Episcopus, post ipsum alij se contulere. Nullo excepto desideria cunctos inuadere, vt Nicolai Magni Corpus auferrent. Perpetuus certè Venetis mos fuit, sacras omni bello reliquias abducere, si poßent; aliàs exoptare, quo quid laudabilius? Maximum ex ingenti victoria semper arbitrati sunt, si Sanctis raptibus Patriam auxissent. Heinricus Episcopus id auidiùs amare. Hinc diu flexo poplite, illachrymans ita precatus est: templo ceteris rei euentum piè præstolantibus. Ante, inquit, Sacer Episcope Nicolae lesero, si è despecto iam loco subduxero? Magne Pontifex parce ausis. Vix tentarem, nisi Saracenorum gens perfida, quæ tui Sacrum Numen spernit, ita impelleret. Quid felicius Venetis ex ancipiti Maris itinere, si Mari Præfectum à Deo tutelarem secum detulerint? Annue iam votis. E Mari ad Mare Sacrum tui Lypsanum deduci, ne dedigneris. Ista præloquutus, socios, vt Reliquias scrutarentur, deinde hortatus est. Ipse interim tacitæ precationi incumberet. Abierant Clerici, dum ista agebantur; ac nisi quattuor ad Templi custodiam è laicis reliqui fuerant: à quibus de loco sciscitari fas esset. Quare leniter priùs cum ipsis actum, si fortè illecti ossa patefacerent. Sed fractum Græci præmonstrauere sepulchrum: è quo aiebant, aliqua Barenses rapuissent ossa, alia reliquissent. Hinc Anony-

mum Barensi deductioni minimè contrariari elicio. Coniuentibus enim oculis Æditorum asserta percurrit, quibus Barenses ossium partem surripuisse asserebant. Quam rem, vt eis temporibus famosam, nec Veneti inficiabantur. Etiam Genuenses Nicolai Corpus, post Barensem deductionem antequàm Veneti illud auferrent, vestigare aggreßi sunt, eo tempore, quo pietatis premio, Præcursoris Ioannis cineres potiùs inuenere. Barenses namquè minimam tantùm osium partem priùs abstulerant: modò quoque ostendunt. Verùm integrum corpus, quod nunc minimè posident, tamen artificiosè ostentant, cum nullo prætermisso labore, haud tunc inuenissent: Venetis (quod D. O. M. decreuerat) felicissimò reliquere. Custodibus itaque, vt Venetam narrationem prosequar, fides habita est: tumulo tunc reserato: Vbi cum iam nisi oleum, & aquam inuenissent: crudeliùs, fatear quàm par fuerat cepere Æditui à militibus vapulare. Neque sanè luctus ad misericordiam flectere: Potiùs silentum pertinacia ad acerbiora verbera inflammare. Subdidere autem custodes, verè Nicolai Corpus ex præostenso Sepulchro Basilium olim Cesarem subripere tentasse, sed frustrà; Nescire se interim, vbi posteà occultasset. Immineret vel ipsa mors, certè nec rei verbum à nescijs extorquerent. Basilium hunc arbitror (Anonymus enim haud explicat) Macedonicum

Marian. Grimald. in Sãctuario Genuensi.

cum eum ſic nuncupatum, qui è Cedreni verbis Nicolai templum nouum, miro ornatu decorauit: etiam prouentus addens. Illud priùs (quod affirmat Procopius) Iustinianus Imperator exædificauerat. Ut verò Baſilius Reliquias poſtea abripere tentarit, neſcio vnde, niſi ex Anonymi relatu exſcribere. Rem nempe apud Græcos tunc conſtitiſſe ait: fortè ea volumina intuitus, quæ necdum edita ſint: aut quia ita Myrenſes traditione ſeruaßent. Utcumque ea eſt hiſtoria. Baſilius Myram aliquando appulit. Ubi arreptis Nicolai Magni è veteri ſepulchro Reliquijs, eas manticis inuolutas, è templo ad Regiam Vrbem abſtuliſſet. At Diuina virtute perculſus, cum ad fores deuenit, inſiſtere bis, tertiòque coactus: quò magis progredi, eò validiùs remorari. Itaque Nicolai numen, vel inuitus extimens, alijs inuidens, abdidit Reliquias templo. Id arbitror, propè annum DCCCLXX. contigit. Quo tempore ita Baſilium præloquutum habent. Quia tui pignus, Nicolae Sanctiſſime, ad Vrbem Regiam deferri dedignaris: vel è Grecia neque alij auferant. Sumo pro hac re è Barenſium hiſtoria, à Ioanne Archidiano conſcripta teſtimonium. Js enim eius initio plurimos Imperatores, ac Potentes Corpus idem Sanctiſſimum auferre conatos eſſe, affirmat. Ex Imperatoribus igitur Baſilius rem eandem, quemadmodum Myrenſes narrabant, aggreſſus

Cedreni in Baſilio.

Procopi lib. 1. ædific. Iuſtin.

Apud Sur. to. 3. Menſ. Maij.

ſus eſt; ſpe tamen fruſtratus. Abdidit itaque Corpus fermè totum: oſſe inſigni apud vetus tumulum, ac paucis admodum fragmentis relictis: quæ Barenſes anno MLXXXVII. deinde abſtulerunt: nuncque circumſcriptè in altari oſtendunt. Ut verò fortiori ſigillo Corpus à Baſilio templi viſceribus abditum ſit, clariùs tunc fiet, cum Venetos demum illud nactos, historia edocebit. Certè interim in eo, quod Æditui vetere monſtrauere Sepulchro niſi oleum, & aquam noſtri inuenere. Quare excitauit milites aut deſiderium, aut ira, ad mœnia rumpenda, detegendum ſolum, tum ſollicitudine nulla relicta, ubi demum Sacris oſſibus quies daretur, ſtudioſiùs veſtigandum. Alij, dum iſta fierent, repetitis in cuſtodes atrocibus, vi notitiam extorquebant. Ferè demum die, noctuque integris, circa huiuſmodi ſtudia conſumptis, nec rem tamen adſequuti ſunt. Qua enim niſi precationum virtute, ad ſui met Corpus anxijs concedendũ Magnus Nicolaus flecteretur? Validiùs quidem Contarenus Epiſcopus rem precibus impetraret: quàm turbida militum gens viribus, cum de ſacris agitur. Ceterùm poſtquàm ad noctis dimidium deprecatus eſt: claſſem conſcendens, quieti, fatigatus, indulgere decreuit. Illuxit deinde poſtera fermè dies, cum nunquam obdormiens è cuſtodibus quipiam, quem diris cruciatibus afflictabant, aliqua ſe Epiſcopo, veluti

luti mitiori pandere pollicitus est. Eius verba ad classem, ipso crepusculo euanescente, relata, Ioannem Michaelem, tum Antistitem ipsum, mirum in modum excitarunt. Itaque ob Turcarum metum, Ioannes armatus incedens, etiam militum manum adiunxit. Post hos sequi, qui erant intra classem Clerici omnes, ac demum Episcopus ipse. Qui vt religiosissimè rem tantam nunquam non pertractarent, intectis pedibus, singuli templum ingredi. Vel Ducentos arbitror è Clero: si quibusque triremibus singulos tunc adsignauerint Sacerdotes: qui mos Venetis vetustissimus adhuc perdurat. Tam spectabilis proinde caterua, denuò in templo precans, iam secundò interpellare Nicolaum. Contarenus Antistes humiliùs sentiens, diutiùs orans, validiùs penetrare: sed fortè quia alij diffiderent, ideò moram pati. Interim custodem potiùs lenibus alloquens, præclara polliceri præmia, si de quæsitis Reliquijs aliqua edoceret. Verùm nescio, an deluserit; certè quia cruciatibus torqueretur, se iccircò Episcopum accersisse aiebat. Te, inquiens, Sacer Episcope exoptaueram, vt innoxium flagellis exsolueres. Hinc exemptus, ad Lacrymas Contarenum coegit. Qui renouans rursum ad templi abdita preces, prostratus suspirans: iterum a militibus custodem eundē acriùs torqueri cognouit. Quare citò accurrens, virum denuò, nè grauioribus afficere-

tur

tur exemit. Tum milites, qui ad sæuiora processissent, rigidè increpans: cohortationibus præterea Æditum stimulans: interdum de perpessis miserum dulciter Solari. Frequens intereà de Sacris Nicolai Reliquijs sciscitari: donec mollium suauitate inlectus Custos, se demum ea dicturum, gemens præmisit: quæ Venetis quidem gloriam, at Græcis ingentem penitus iacturam paritura forent. Altare eo in templo Ioanni Baptistæ (ait Anonymus) erigebatur. Ipse arbitror illud idem, vnde Genuenses Sacras Præcursoris cineres rapuerant: Verùm propè altare arca ponebatur: in qua quidem asserebat Æditus, aut certè in altari ipso Sacra duorum Episcoporum Corpora condita seruari. Mira exinde cunctorum lætitia. Quare fracto Sepulchro: in quo verius Sacras eas Reliquias reperiri arbitrati sunt: duo Sanctorum cadauera, suaui odore fragrantia, ibi quiescere conspexere. Theodori alterum erat, Martyrio insignis: Nicolai alterum: verùm haud Magni, sed eius Auunculi: à quo, & Magnus nuncupatus est Nicolaus; Præfuerantque ambo olim Myrensi eidem Ecclesiæ. Theodorum arbitratur Translationis istius auctor Anonymus, eum esse, ad cuius altare è Lychno Magnus Nicolaus oleum sumpserit (res quæ in eius actibus legitur) atque hinc cęcum linitis ex eo oculis lumine donauerit. Equilinus sic quoque putauit. At perperam

Pet. Eql. Epi. Catal. Sāct. lib. 5. c. 65.

arbitror

arbitror utrosque sensisse. Neque enim aliqua eius Theodori in Magni Nicolai actibus mentio Episcopatus: sed Martyrij tantum. Nec sufficiens igitur, exinde Episcopum quoque conijcere. Addo, neque Theodoro illi aram in templo dicatam, verùm communem sibi cum Nicolai Auunculo arcam. Neque Lychnum, è quo oleum hauriri potuerit, peculiare sibi extitisse. Tantùm propè Io Baptistæ aram Sepulchrum positum, etiã locum hominibus ignotum. Deinceps neque vnus, qui Martyrio fulserit Theodorus tantùm ante Magnum Nicolaum Episcopatus dignitatis expers legitur. Plures eiusdem nominis solo Martyrio insignes. Quare ipse eum, quem inuenere arbitror, qui Concilio posteriori Niceno propè annum DCCLXXXX. subsignauit. Ibi enim Theodorum Episcopum Myrensem lego. Qui interdum (Heu) è deprauato ab Hæreticis S. Nili codice elusus, priùs improbè de Imaginibus sensit quod posteà emendauit, se se patribus ijs veluti paruulum subijciens. Attamen scelus id prauorum Hæreticorum potiùs fuit: qui Sanctißimi Nili Epistolam corruperant. Nempe, vbi colendas Sacras Imagines, germana à S. Nilo dictata Epistola hortabatur: ibi abradendas adulterinus codex mentiens imperabat. Itaque huiusmodi fuit S. Theodori palinodia, quam pro geminis etiam alijs Episcopis ipse promptior San-

Concil. Nicen. secund.

Conc. Niceni 2. act. 4. *ctißmè cecinit. Legi (fermè sic inquit S. Theodorus) aliàs turpatam Epistolam, quæ nos propè ad Tartara traxit. Arbitrabamur sanè, productam sincerè, saluti consulere: sed fefellit. Dolemus. Verba hæc Theodori resipiscentium Coriphęi, qui Martyrio cuncta postea lauit, dum posthæc igne consumptus ob fidem interijt: vt Sepulchrales memoriæ, quas Azo Firmanus Episcopus Lapide incisas conspexit, edocuere. Inquam fortè à Saracenis passum: circa eas oras perpetuò infestis.* Ibid. *Interim ex Ipsius Concilij actibus Theodorum eundem tanti apud Magnum Nicolaum factum lego, vt eius partes vel cęlo adscriptus susceperit. Nempe Episcopij res, nescio quæ, vertebantur: quæ Theodorum, cui Regia Vrbs petenda fuerat, vehementissimè obturbabant. In ancipiti igitur cura Magnus Nicolaus, Episcopi Diacono flammea facie visus, prospera cuncta Theodoro, si ad Vrbem eandem accederet, pollicitus est. Cui rei potissimum nixus, ac Nicolao fidens, lætus Byzantium Theodorus progrediens, lætior inde remeauit, omnium feliciter potitus, quæ Episcopio conducerent. Nicolaus alter Magni Auunculus; cuius corpus vnà repertum fuit: nullo contrariante is est, de quo in Nepotis actibus memoratur.* Act. S. Nicolai Epi. Litorensé cęnob. *Ibi enim hæc in primis recensentur. Infantem Nicolaum eo die, quo natus ablueretur: ad horæ dimidium*

balneo stetisse. Hinc Auunculum in admirationem deductum præsertim, quòd quarta quoque, ac sexta feria postea puer ieiunaret, lac semel eis diebus tantùm caperet. Ea propter benedictione præmissa, lachrymis madefactum Auunculum Deum O. M. pro Nepote exorasse: atque eum è Sacro fonte sustulisse. Quem proprio etiam nomine nuncupans, Sacris deinde sollicitè instruxerit. Miracula Auunculi Equilinus conscripsit. Aquam enim mirabiliter, ad populi lachrymas commotum, è terræ visceribus euocasse: à Demonibus obsessum hominem exemisse: ac virum ventris dolore vehementissimè tortum, oratione præmissa, incolumen reddidisse affirmat. Igitur sublatis Veneti Sacrorum duorum Præsulum Corporibus, læti euentu, ad classem proficiscebantur, secum præterea arcellas alias ligneas tres, Sacris Reliquijs diuites deducentes. Verùm quia præcipua ad Nicolai Magni corpus inde abducendum mens fuerat, interim contigit, morari aliquos templo: qui nunquam quiescerent: donec illius, ob quem præsertim vestigandum, Myram appulerant, alacres potirentur. Impatienti propterea cuipiam, templi solum fodere, studiosiusque rem scrutari, in mentem venit. Quæ dum fierent, mirus erumpens odor, templo vacantes vniuersos illexit: spem valde excitans, adhuc maximum aliquid ibi latere, cuius fragrans

Equil. lib. 5. c. 67.

odor indicia præberet. Fuere tunc ibi, qui Myram sæpiùs iterato mari petierant: nouerantque Archiepiscopi consuetudinem, qui solennioribus anni diebus altarè ductili, medio templi solo sacra peragebat eo in loco, supra quem S. Nicolai Imago in fornicis concauo cernebatur. Quid (voluebant) mos iste, imago, locus innuunt? Sanè nisi Sacrosanctum aliquid hic tegeretur, neque sic venerari opus esset, neque ibi Archiepiscopum litare. Ergo Nicolai quæsitum diù Corpus aut hìc vestigandum: aut sanè (aiebant) nullibi hocce in templo quiescit. Episcopus vix ad mare, nobilißimo eo stipatus comitatu corpora priora sacra deduxerat: cum ad eum missus citò nuncius, odoris indicia, fodiendique iterum templi consilia retulit. Qua spe, qui præceßerant, exhilarati proceres, quàmprimum depositis in naui Sacris, quæ deducebant pignoribus, ad Nicolai Magni preciosiora vestiganda citissimè regressi sunt. Iuniorum pars validior præcucurrit; Quos Michael ipse à classe, paludatus, accinctusque, milites ante se agens, tum deinceps Contarenus Episcopus, ac Nobilis Clericorum caterua iunctim subsequi. Quæ frequens excrescens, loci vbi recens foderant, visendi cupidine, ad Templum properans volitabat. Omnia sanè singulari Dei munere contigisse, pia gens meditari: cuius præsertim auxilio cum quas nunquam quæsijssent Re-

liquias,

liquias, fortè nacti antea fuerant: & Nicolai etiam Magni corpore, ob quod inprimis Myram declinauerant, potiundi ſpem excitari poſſe. Rectè quidem è loco, Imagine, litandiq́ue conſuetudine argui: iccircò vniuerſa hæc fieri, quia ibi Magnus iaceret Nicolaus. Itaque fodere milites, Clerici precari omnes: tum quando Antiſtes, præ omnes ſpectandus, ſe miſeratus exponeret, ardentiſſimè præſtolari. E' ruinis interim aggeſtus, medio templi iacens, rem tantiſper protraxit. Ligone tamē, vecte, & ferreis quibuſque machinis, hunc quoque disijcere. Ophites, Porphirites, atque alij marmores, qui pauimentum mirè decorabant, circum locum poſteà eleuantur: ſubter quos tantæ molis lapides alij inuenti ſunt, vt vixdum à numeroſiori ea militum manu, niſi difficilè dimoueri potuerint. Ceſſere tamen. Verùm ſubiacens ſtatim vitri ſolidiſſima materies, quę templi tuendis viſceribus, ſupra Nicolai Sepulchrum oppoſita fuerat, ternis ipſis dimenſionibus immenſa, ſoliditate pertinax, ferè Venetos à cęptis eiecit. Sed quòd hanc vnicam autumarent: ſi quoque contunderent, illicò ſe Nicolai Magni Corpus etiam deprehenſuros ſperabant. Jam enim firmiùs conijci, ibi verè quieſcere quæſitum Præſulem: cuius adytus ita intercludebatur. Eò itaque magis nitendum, quò vetitus acceſſus validiùs animaret. Hinc denuo ferrea in-

ſtru-

strumenta adijcere, machinas admouere studium fuit. Cumque nautæ, nedum milites cuncti, operam impenderent: quamtumuis tenax, vi tamen, horarum spatio materies demum euulsa est. Nec sanè eos, qui illuc ipsam priùs comportauerant, composuerantque, tot expertos fuiße labores, existimo, cum tamē secus Axioma feratur, Construi difficile; faciliùs cuncta dißolui. Quod nunc dictum de ijs potissimum inquam, quæ è graui congerie in altum priùs eleuata, postea detecta facilè diruuntur. Sanè domus è lapidibus, ingenti artificum labore erecta, vel sublatis columnis, vltrò decidit. Sed terrea, vitreauè materies, adiecto soliditati pondere, nisi difficilè è centro dimoueri potu t. Victa est tamen. At vehementior alterius maßæ compago, quæ vitreæ subiacebat, Venetos perterruit: quibus noua contentio parabatur. Neque enim nisi difficiliùs, quàm arbitrati essent, res tanta sibi è voto successura erat. Bitumine, inquit Anonymus, eam compactam fuisse. Quæ cum nullo dubio priori tenacior extiterit: fateor, materiem explicare nequeo. Laboribus tamen, sudoribusque plurimis disrupta est: viam tertiæ pandens: quæ è cupro constans solidissima nimirum cunctarum earum materie, vix penetrari potuit. Verùm quid vehemens, feroxque iuuentus non auderet? Quid non Episcopi, Cleri preces fidissimè sperarent?

rent? Nec solùm interim duris ligonibus, vectibusuè: quin cuneis, malleis, tum ferreo quocunque nauium vsui secus destinato instrumento rem difficillimam milites è ducentis triremibus selectiores tentare: quam è voto demum feliciter abstraxere: cum iuuerit intereà latè circum excauasse penetrabiliorem eam terræ partem, quæ vitrum, bitumen, cuprum templo ipso stipabat. Exinde Sepulchrum conspici iam cępit: vbi certissimè Magni Nicolai Episcopi ossa condebantur. Hęc tamen minimè statim visa sunt. Verùm cęmenti, aut potiùs calcis materies, qua tumulum repletum inuenere, adhuc incertos detinere milites, donec tot contrarietatibus interdicti, tędio tristes, calce deinde ea paulatim ab ossibus Sacris, quæ adstringebat, disiecta, ossa ipsa demum extracta sunt; Confracta tamen. Quod licèt Anonymus minimè explicet: at Marcus Gradonicus, qui annis CCXLVII. post translationem Venetias factã, tumulo apud Littorense cęnobium reserato, ea oculatus conspexit, confracta etiam visa extitisse bis verbis testatus est. Offa verò clarifici Nicolai miraculis gloriosi erant alba, velut lac, sed confracta, & rupta. Quæ quidem credo, & non dubito esse sua: videlicet Magni Nicolai confessoris. *Sanè albedinem, nisi è calce, cui vel ad Triginta annos supra Ducentos Sepulchro eo Myrensi per-* Apud Sanu.Chr.

mixta

mixta fuere, contraxisse quilibet dixerit: atque ideò confracta tunc fuisse, quia milites ea vix rupta post tot discrimina rerum nacti sunt. Excepit ea pallio Contarenus Episcopus è Calcis aggesto, letitia gestiens. Utque pientissimus, lacrymis perfusus, grates Seruatori agere, qui tam grandia pignora Venetis largiretur. Miraculo tunc euenit, vt palma ab Episcopo Hierosolymis delata, quam leto plaudens successui, tunc manu gestabat, ramos ac flores germinauerit. E' quibus (ait Anonymus) cum plurimi sumpsissent: postquam Venetias regressi sunt, veritatis fide ad proprias tulere domos. Cernebantur Sepulchro Græci, ac Latini characteres, qui Magnum ibi Nicolaum terris, mariq́ue miraculis gloriosum, quiescere testabantur. Abdendi vim (iam retuli) Basilius Macedo excogitauerat: quemcunque sic diuitem imitatus, qui ex ingenti thesauro anceps, loca eidem diuisim seruando, gemina meditatur: Alicubi nimirum prædonum raptui auri modicum periculo exponens: integrum sed thesaurum alibi cautiùs occultans. Exsaturari enim auidiores etiam modico, si præda haud prorsus inanes abierint, sæpius contigit. Cur itaque tanti facta Nicolai oßa Græciæ tuendæ Imperator minimè occultaret? Deinceps cur aliqua pijs excolenda nec relinqueret? Nempè si feliciori eo Basilij Cesaris euentu, postea hæc fortè

pauca

pauca sollertiores subriperent: maneret tamen eorundem pars potior, quæ perpetuis temporibus Græciæ patrocinio forent. Cæterùm tantis auxilijs diu gens ea potita fuerat. Quæ cum iam videretur paullatim nãuseam contraxisse: Sacris posteà destituta propugnaculis, sibi infanda demum exitia comparauit. Quantus enim fuerit Græcorum antea fastus: vtque Deum O. M. atque Indigetes omnes tumidè spreuerint: insequens pœna monstrauit. Exorta quippe tunc flagella conijcio, quàmprimùm Sanctorum Reliquiæ apud eam gentem despectui esse cępere. Venetorum vtcumque prosperi fuere successus; quibus post ereptas Nicolai Reliquias: etiam calcis fragmenta, quæ ipsis contigua fuerant, nulla pietate prætermissa, colligere studium fuit. Hinc ventum ad mare est: exceptæque classi quæsitissimis honoribus Reliquiæ fuere. Quo enim pietas plus maiestatis haberet: paruum è tabulis templum in Episcopi naui erectum est: adiectis texilibus circum stragulis, tum lampadibus, quæ perpetuò arderent: donec post prestita Sacræ vrbi auxilia Venetias posteà reuerterentur. Vixdùm hæc ipsa fiebant, cum Græcorũ statim gemitus cępit, Clericorũque audiri tumultus. Nãque vt primũ dimissi à nostris custodes fuere, ac loci Archiepiscopus iacturam percepit: dissoni illico quæstus, Græcanici planctus. Innenarrabile dictu est,

quæ post visas templi ruinas èminus cominus Græci illi lachrymabundi conclamarent, precarentur, imprecarenturque. Nunqnam è Turcarum incursionibus ad tantam deueniße iacturam. Qui, & si moenia, vrbem, ac prædia diripuerant: eas tamen, q æ templo abdebantur, Reliquias immunes reliquerant. Archiepiscopus itaque, Canonici, Clerus, ac plebs Græcorum vniuersa ad littus accurrens, classis Duces, vt eorum misererentur precari. Neù trium Sanctorum corporibus Myrenses expoliarent. Nam si Magnus eius vrbis Antistes Nicolaus potißimum abduceretur: quęnam sibi reliqua Sanctorum subsidia forent? Classem insuper, vrbis Gubernator conscendit, vt mitiorem Episcopum flecteret. Nudant interim reliqui è littore pectora, comas trahunt: mox indiscretis vocibus clamitantes, miserandum in modum dolorem vtrisque classis Ducibus, excitant. Spatium Episcopus sumpsit, quo se Heroes illi ambo intra nauis tabernaculum abderent. Quibus peractis, ea demum conditio proposita est, vt tantum arcella è tribus, quas Reliquijs alijs onustas prætereà nacti fuerant, Græcis vel vacua redderetur, Bizantina aurea centum, Templi solo denuo lapidibus sternendo, Græcis erogarentur: ac statim classis solueret. Quare moestus Græcus debuit, vel inuitus, ea tantum esse liberalitate contentus: qui po-

steà

steà Littore constans, inde citò abeuntem classem, quò ad visio protendebatur, spectare. Proficiscebantur itaque Veneti, vndique mari Laudes Nicolao vtrique ac Theodoro Episcopis concinentes. Neque Heinricus Antistes ab ductili eo templo vnquam intereà dimoueri. Qui noctu obdormiens, viso Magno Nicolao, vti à militibus, Clericis, ac Nautis discerptæ eius Reliquiæ fuissent, rigidè conquerentem audiuit. Cuius rei sibi quidem valdè molestæ, cum expergefieret, vniuersos monitos voluit. Nautæ propterea in pœnitentiam versi, ea quæ peculiari consilio abdiderant, aut ossium fragmenta, vel ipsammet puluerem Heinrico spontè singula reddidere. Hæc mari fiebant. Verùm Godofridus Rex, quæ difficilia Hierosolymis experiretur, haud credibile est. Quare Veneti, qui summis desiderijs Reliquiarum tantarum feliciter potiti, patriam lubentius repetijßent: nuncios tamen ad Reip. patres de mirabili ea inuentione præmisisse contenti; Hierosymas iter direxere. Erat annus is Cẽtesimus supra Millesimum, cum Iunij mense Raymundum S. Ægidij comitem fortè obuium penes Cyprum Insulam habuere; Tyr. hist. de bello sacro plurib. in locis.
Qui Hierosolymas profectus, Constantinopolim flectebat. Addit Tyrius huic etiam Tolosæ comitatum: quem millies repetens tantum bis, teruè S. Ægidij nuncupat. Sed Anonymus, tum Abbas Stadensis, ac Pet. Albert. sta. Ab. Pet. Dia.

chr. casin. li. 4. IdẽTyr. lib. 9. c. 3. & ca. 13.

Diaconus. S. Ægidij comitatus tantùm meminere. Video secus Anonymo concordem Tyrium, cum vix vrbe capta, moestum Raymundum, quia Dauidis turrim cedere cogeretur, se patriam repetiturum, quàm primum in Iordane lotus esset, decreuisse affirmet. Mox itaque Hierosolymis Laodiceam, inde Constantinopolim ad Alexium profectum fuisse, quamuis Laodiceam iterum pęnitens remeauerit. Veneti nichili nisi familiaribus cum Raymundo colloquijs habitis: ad Iopen posteà vrbem, Ionæ successu celebrem, iter direxere. Ibi Patriarcham, ac Regem ipsum Godofridum nactos, ait Anonymus: vt iam Regi subactam eam vrbem, etiam ante Venetæ classis accessum, elicias quę tamen intereà mare Carpathium, Lycium, Pamphilium, quodque exinde subsequitur percurrens, hostibus formidolosa extiterit. Cęterùm Hierosolymitanus Patriarcha ibi, vt miserè Christiani afflictarentur, classis Ducibus exposuit: illud adijciens, fermè ob tot clades Sacra ea loca deserere coactos fuisse, nisi Diuina auxilia obstitissent. At Regem, Antistitem, Contarenus Episcopus suauibus alloquens: mirificè solatus est; Quodque peroportunum valde fuit, quæ nouorum commeatuum, aurique secum subsidia, Veneti detulerant, citò Reipub. nomine, tum bellica instrumenta Regi munificentissimè elargiti sunt. Igitur grati animi

Magnus

Magnus Rex id tunc fedus cum Venetis inijt, quod ex Anonymo fideliter exſcribo.

I. Eſto Venetus Gallis auxiliaris à Joannis Baptiſtæ imminenti feſto ad B. Virginis Deiparæ ſolemnem Aßumptionem, ac ſingulari virtute gens ùtraque vrbibus, quæ ſuperſunt, ſubijciendis intendat.

II. Quæ loca ne dum ſubijcientur, verùm, & ſubiecta ſunt, pateant vbique Venetis foro, ac Templo peculiaribus: vbi commodè precari, ac res proprias actitare valeant.

III. Neque prætereà vectigalia vnquam ſoluant, aut ob tranſmiſſiones aliquid impendant. Quod cæteri haud immunes erogare Principibus conſueſcunt.

IV. Cum aliqua vrbs recens ſubiugabitur, aut oppidum: ita prædam partiri licebit. Gallis enim è tribus altera atque altera: at Venetis pars tertia continget.

V. Verùm ſi Tripolis vrbs ſocialibus armis impugnata debellabitur: biceps partiatur ſpolium, cuius vtrique genti dimidium obueniat. Ipſa tamen Vrbs, Venetorum tantum Imperium prorſus accipiat, nulla alia ſeruitij neceſſitate, niſi quod S. Ciuitatis amore, quicquid ipſis viſum fuerit, perenniter perſoluant.

VI. Jnterim ſi Nauis Venetorum (quod abſit) aliqua Naufragium patietur, penes locum, vbi Gallus

qui-

quipiam imperet: Hic ne minimum quidem ex Naufragio eo accipiet. Mercedis tantum loco poterit Venetus aliqua eis erogare, qui effusas mari, aut Littore res è Naufragio collegerint.

Igitur foedere concordes Rex, Episcopi, Dux, atque è classe plurimi Hierosolymas pedes proficiscuntur. Moraretur interim classis ad Iope ostium: cui alij preessent, qui, nulla pompa relicta, ductili templo excubias exercerent, Sanctorum Reliquias perpetuò venerarentur, classemque donec sacra primores loca visebant, sedulo seruarent: quo tempore Sãctam Ciuitatem ceteri ingrederentur: quod anno MC. Die Natiuitati Præcursoris sacro contigit: effusa tunc populi obuia multitudine, Contareno, Michaeli, atque vniuersis Venetis hilariter excipiendis. Postridiè, qui Marci Apparitioni dicatus erat, Contarenus Episcopus ad Sacrosancti Sepulchri litauit: vix præ lachrymis consistens. Ac medio sacrificij ad plebem versus, ferè in hunc modum ex Anonymo locutus est: cum cæteri interim supplices ora tenerent.

En milites, id nos hodie feliciter experiri, quod Regius Psaltes futurorum Diuino monitu præscius anteà pollicitus est. Introiuimus enim in tabernaculum Domini: Adorauimus in loco vbi steterunt pedes eius. Id vobis celesti oraculo dictum autumate: quibus sancta

verè

verè ciuitas nunc aperitur. Huc ingreßos esse, hic adoraße, quanti faciundum est? Terram, quam millies Sacri codices celebrarunt, lex decorauit, Christi misericorditer effusus sanguis Sacrosanctam reddidit, iam ingressi estis. Quibusnam cęlestium spirituum agmina gestire gaudijs arbitramini, qui post tenebrarum principes turpiter hinc expulsos, Christi demum plebem collectam, nomini Domini laudes compunctis cordibus promere audiunt? Cauendum sanè singulari studio est, nè terrenis lateribus compactam ingressi vrbem, templo hoc manufacto excepti, ab Hierusalem deinde ea cęlesti, ac spirituali eius templo miserè reijciamur. Incumbendum quoque castitate est, sensuum custodia, vigilijs, ac probis operibus cęteris, vt tales nos Deo exhibeamus, quos potius de perpessis laboribus amet, quàm de patratis sceleribus increpet. Non minus victoriæ eis defertur, extrema qui feriunt acie, q̃ ijs, qui priori agmine certant. Parũ obtinuisse: prodesset, si iterum è nobis Turcę sacrum hoc solum eriperẽt. Quod cum incendere, si eius denuò potiantur, trucibus animis asperè minitentur: vestræ fortitudini milites relinquitur, mox imminentis exitij ruinas auertere. Penes vos summa belli est, quamuis incommoda plurima passos; Sine quibus licèt fratres vestri Galli egregia quidem: at non adeò valide, quia laboribus fracti

susce-

susceptauri sunt. Ad belli duriora, quæ remanent, iam lætis animis accingimini: Veteres illos Macabeos vobis præ oculos ponite, atque ex aliena gloria, vt propriam adipiscamini, nunc studete. Si enim vos magnarum accendit ab ipsis gestarum gloria rerum: vestra quoque nomina Sacrosanctæ illi classi adscribi curate: Interim coniuges, ac liberos vestros: à quibus pro Sanctę huius Ciuitatis honore nũc abestis: ęquè atque huic Diuinæ, quam litaturus sum, hostiæ intereßent: capiendis vberrimis, quæ hinc promanant fructibus, consortes hodie nuncupo. Cunctis etiam claßem custodientibus, aut Venetijs commorantibus eandem, quam vobis absolutionem, nostræque peregrinationis, laboris, omniumque bonorũ operum participationem concedo.

Vniuersos itaque generali absolutione expians, posteà ad aram conuersus, Sacra prosequutus, sumpto Libamine, eos qui aderant, Sacro Pane refecit. Ceterùm è generali ea absolutione nescio firmiter Pontificis Maximi Legatũ colligere: Valde tamen conijcio, quod alij quoque dixere. Ipse interim germana ex Anonymo postrema verba, quæ retuli, studiosiùs perpendo. Neque enim absolutionis hic vocabulum pro Sacramentali accipio, sed qua precis ad instar, quicumque ob dãnabilia crimina, Purgatorij reus est, penitus expiatur. Delegari tamen huiusmodi potestatem nisi à Summo

Farold. Annal.

Rodiq. q. Reg. t. 1. q. 20. art. 22.

Pon-

Pontifice, Sacri Theologi decernunt. Contarenus interea ac Michael, post peractum Missæ Sacrificium, vna cum Venetis ceteris præcipua, vbi Seruator versatus fuit, loca lustrare ceperunt. Qui munificis, vbique profusis donis, nedum Gallorum, verùm indigenarum cunctorum studia, & conterminarũ, quæ eò conuenerant, gentium sibi mirificè conciliabant. Hierosolymis ad dies aliquot commorati sunt. Deinceps quia cæteræ, quæ supererant, Palestinæ Vrbes, atque oppida subijcienda erant: ad Iope ostium, vbi classis morabatur, regrediundum fuit. Id factum, cum Magnanimus Godofridus Rex grauiter ægrotaret. Veneti posthæc cæteri, qui classi seruandæ interim incubuerant: loca eadem Sacra deinde inuisere: donec singuli apud Iopen denuò conuenere. Ibi cum Gallo Venetus fęedera, quæ prius inierat, repetijt: iureiurando, ne frangerentur, adiecto. Igitur Accaron Archiepiscopalem vrbem primo aggredi Sancitum est. Cæsarèam hanc ipse arbitror: Littoralem nempe eam, quam Plinius, inter Iopen, & Ptolemaidam statuit, Turrim Stratonis antea dictam, nunc Cheisariè nuncupatam. Quod dictum esto, ne Cęsareã Philippi alteram (quæ & Paneas) apud Iordanis ortũ, & Antilibani montis radices positam alij accipiant; etsi enim Palestinæ vrbs vtraque, at Archiepiscopalis illa, Episcopalis ista.

E Hac

Hac itaque neglecta: priorem eam Galli, ac Veneti, post repetita foedera, primum aggredi destinarunt. Nimirum eam Urbem mari Veneti, Galli terris vehementer obsidère studerent. Quæ cum fieri aggrederentur, Gallus triduo antequàm Venetus, ad locum pręcessit: at Venetus, quia mare insolens, haud statim prosequutus est. Cui apud Iopen moras trahenti, nuncius è Hierosolymis, Inuictissimum eum Godofridum Regem supremum diem egisse, moestissimus retulit. Propterea casu tristes Veneti Duces, penè et ipsi animo cecidissent. Tam Magnum scilicet Regem sic citò defecisse, quis non obstinatissimis lachrymis deplora-
Tyr. lib. 8. c. 24. *ret? Mense Iulij vita functum Tyrius Episcopus habet: cum semel contracto morbo, quiete nulla, ad vitæ vsque extremum ineuitabiliter laborauerit. Interim tamen cum criminum omnium summo dolore penituisset: Sacrum quoque sumpserat Viaticum, vt fęliciter Sacris munitus, si res melius perpenditur, è magnis turbinibus ereptus decesserit. Tancredus Beamundi è Sorore Nepos, Tiberiadis Princeps Gallos eos milites terris Cęsaream deduxerat. Ad quem statim legatus à Venetis missus est, qui post flebilem Godofridi obitum, quem expressit, quònam vires adijciendæ essent, sciscitatus est. Acerbissimum nuncium męsto animo Tancredus excepit. Vtque tam felix Rex*

cito

citò obijsset, deiectis ad terram oculis, tacitus deplorabat. Deinde hæsitans, ac posteà se colligens: demum magni animi vir potius ex ingenti Regni iactura sollertior, egregium prorsus aliquod opus vnà cum Venetis aggrediundum fore respondit. Iam enim mari, terra optimè instructas vtrasque classes prosperos Christianis successus firmiter polliceri. Itaque Cæsarea dimissa, quam Baldeuuinus, qui Godofrido successit, posteà debellauit: insignius aliquod facinus tam ingentibus viribus, conandum censuit. Caypham imprimis, nunquam à Christianis anteà obtentam vrbem, è paganorum principatu eripere vtilius duxit. Ibi sanè: quia munitissima arx ea erat: gens Idolorum cultui adstricta, superbissimè morabatur. Veneti citò facilè cum Tancredo sensere. Ponebatur vrbs æquore ad Carmeli Montis radices: è quà Accaron còminus conspiciebatur. Quò cum classis ùtraque pergeret: velociores Galli, qui præcesserant, lætos Venetos vela dantes accedere è Montanis intueri. Porphyreon secus vrbem eam, Caffacem, ac Scaffacium variè nominant. Ex Polyb. *Quod inquam, nè vlterius Caffà, quam Theodosiam Ptolomeus nuncupat, perperam Veneti auctores aliqui exscribant.* Ptolom. *Ponitur enim hæc ad Tauricæ Chersonessum inter Criumetopon promontorium, ac Bosporum Cimerium. At Caypha, quæ & Porphyreon, ad Mon-*

tis Carmeli radices. Eò itaque cum Veneti Mari, Galli terris aduentassent: vtrinquè vrbem aggressi, simul bellum ingens minitabantur. Territi sunt inopinato accessu ciues. At Pedes, Equesque, & Nauticus miles è nostris vrbem, Christianis vltraquàm credi possit infestam, debellare festinabāt. Eius enim si potirentur: cęteras ad mare positas arces metu perculsas, promptiùs cessuras autumare. Tancredus castris in loco communitis, auidus eam gentem statim terris impetijsset. Sed Contarenus Episcopus, in primis animarum lucro intentus, ad superbos eos ciues legatum misit: à quibus obsequium expeteret. Nam si Christi fidem amplecti luberet: nullo acriori onere tentarentur; fruerentur potiùs vrbe, fortunis, ac vera Christiana libertate. Quibus moderatiori Imperio illud idem tributū imponeretur, quod veteribus Gentilibus Principibus soluere consueuerant. At si Christum confiteri aspernarentur, vrbem tamen quietè cederent: Christianis tunc subijcerentur: ac veluti victis seruitia indicerentur: rebus tantum familiaribus amissis: aut certè liberi vrbe extrent. Nullis conditionibus, vt assentirentur Pagani impelli potuere, cum opprobria potiùs rependerent. Intereà tamen vt deciperent, inducias postulabant: quò reparandis ruinis veteribus intenti, validiùs moenia tuerentur. Cæterùm Iuuenis

Michael bello ardens, tum Contarenus, qui callida postulata intellexerant, mitibus posthabitis, è Mari vrbem impetu oppetiere. Tancredus quoque gentis illius procacitate commotus, paratu eo magno equitum, peditumque, quibus imp ritabat, simul ac Mari Veneti, ipse terris vrbem aggressus est. Quæ cum fierent Gentilium plurimi breui cecidere: Quorum naues etiam aliquæ exustæ sunt. Quare prouocati hostes, nocte inter somnũ, nostrorũ classem aggressi, è triremibus vnã harpagonibus, tenebrarum fauore, abripiunt: quæ citò Mari hausta est. At quattuor tantum è nostris militibus periere, cæteris nandi arte seruatis. Postridie Christiani Duces aduersis excitati, validiùs vrbem oppugnant; nullis ad eius expugnationem machinis prætermißis. Contrà oppidani præstigia, incantationes, ac dæmonum inuocationes, Gentilium more, adhibebant: irritis tamen vniuersis, quæ moliebantur, quod Sanctorum patrocinia, quorum intra classem corpora vehebant, sic inania redderent. Demum nostris ita vrbis potiundum esse, in mentem venit. Naues inprimis firmiores funibus, aut compaginibus iunxere: supra quas ligneam structuram, oppidi ad instar, condunt. Quæ cum vrbis moenibus, ac turribus superemineret: incredibile dictu, quæ damna perfidi illi ciues experirentur. Durauit pugna vltra mensem, diro vtrimque

prælio:

prælio: cum armis omnibus ferox ea gens se diu pertinax tueretur. Cæterùm vel demum è lignei oppidi summitate, Christiani milites turrim vrbis præcelsiorem ingressi sunt, ingenti Barbarorum terrore, atque eorum præcipuè, quibus turres reliquæ commendatæ fuerant. Hostes cum paullulum obstitissent: spe vlterius se tuendi deiecti, foedera postulabant. At Contareni Episcopi singulari strategemate delusi, nostrorum felicitate mira victi, sparsim per vrbem trucidati, prorsus deleti sunt. Nusquam antea, ait Anonymus, eam vrbem Christiani ceperant: quæ etiamtum gentilium more viuebat. Inde perspicuum, eam subegisse, quàm arduum fuerit. Tancredus rem tacitus animaduerterat: qui Venetorũ auxilijs destitutus, secus de re desperasset. Neque Græci Cæsares eius vnquam anteà potiti erant. Quare Pagani illi loco munitißimo positi: perenniter Peregrinos cunctos, quibus voto Hierosolymas petere mos fuerat, extremè vexare, vt eius vrbis diruisse moenia, Christianis, qui ad Sacrum solum se conferre consueuerant, opportunum valde extiterit. Vrbem Tancredo Veneti cessere. Quam rem ex Anonymo partim, qui Gallis eam relictam habet:
Tyr. lib. 10. c. 10. partim è Gulielmo Tyrio accipio: qui Tancredum eius vrbis Dominum interdum habet. At mendum interim adijcit: quòd eam à Godofrido perperam accepisse scribit.

scribit. Id enim coniecturis tantum ab eo dictum. Sanè vbi Godofridus eam ceperit, nullibi per integram, quam de bello Sacro scripsit, historiam adnotauit. Igitur cui vrbis subactores latuere: à quibus eam Tancredus obtinuerit, quoque incompertum. Cæterùm vt historiam prosequar, Veneta classis vltra annum Sacris militibus subsidio fuerat: viribus ingentibus, armis, annonæ ministerio aduersus Sarracenos opportuna. Deinceps patriam repetere æquum erat: cum plenè cuncta, quæ ad Christianissimam Rempub. spectabant, egregiè Veneti præstitissent. Quare Gallos iam incrementis lætos mox futuræ abscessionis significatione ad lachrymas excitarunt. Deinde classis etsi parum secundis, neque tamen aduersis vetis nauigabat: donec ad Phariam Insulam, vbi priùs pro portu stetere, ac deinde Jadram peruentum est. Ibi quies denuò sumpta: pacatisque animis, iureiurando à cunctis sancitum, Sacra ea, quæ feliciter nacti fuerant, corpora ad S. Nicolai Littorense Coenobium, quàm primum Diuina ope Venetias attigissent, se deducturos fore. Deductionem eam Vitalis Abbas simplicis animi vir, castimoniæ singularis penes Venetum Senatum curauerat. Proptereà Monachus ab Abbate, Legati à Principe, ad Classem directi erant. Verùm hi, spe inueniendæ classis deiecti cum inanes remeaßent: interim Iadræ eandem

dem Monachus, donec accederet, præstolatus fuerat. Cui posteà iunctus præclarissimos eos milites ad iusiurandum induxit. Id posteaquàm Sanctissimè factum est: feliciùs deinde, citiùsque, vltra quàm credi possit, Venetias properant. Neque enim aut æstatis tempore tranquilliùs, aut fortiori vnquam ventorum impulsu secus velociùs nauigaßent. Ipso Magni Nicolai festo summis cunctorum ciuium gaudijs ad Venetum littus, quod vrbis vada tuetur, feliciter pertingunt: Obuijque fuere Gradensis Patriarcha, Episcopi plurimi, Clerici cũcti, Princeps, Senatus, atque effusa vrbs vniuersa. Vitalis quoque Abbas Sacris amictus, Monachorũ caterua septus, supplex Augustissimis eis Reliquijs excipiendis occurrit. Vt primùm enim Dux Venetus, quod Nobilißimi illi claßis Præfecti, ac milites iurauerant, ratum habuit: tinnientibus illicò è turri campanis, vniuersali gaudio intra Littorense idem templum Reliquiæ exceptæ sunt. Eis deferendis Princeps, atque Episcopi humili se cõtentione certatim subiecerunt: donec altari, quod Magno Nicolao dicabatur, palam expositæ sunt. Interim quicunque eò conuenerant, se inuicem ob concursus frequentiam, templum adeuntes, opprimebant. Quare Episcopus cõcionis liberius habendæ cupidus, templo exijt, Palmam quæ Myræ ad Nicolai Sepulchrum germinauerat, manu ele-
uans.

uans. Hinc ſilentio indicto, ſingulari eloquio proſperos, aduerſoſque eius itineris ſucceſſus, tum Inuentionis, ac Tranſlationis ſeriem plena historia ex Ambone enarrauit. Quo præſtito, cum ſolenni feſto (erat enim id Nicolao Sacrum) ſinguli incubuiſſent: imminente deinde Veſpere, paullatim multitudo defecit. Igitur minores arcas, vbi Sacra oſſa condebantur, intra maiores concludi: atque ad Chori planum, vbi facilior aditus pateret, deduci Epiſcopus iuſsit. Ibi ad Reſurrectionis vſque Dominicæ præcipuum diem, quo tempore ſumma fidelium frequentia venerata ſunt: circum micantibus, vndique lychnis, iacuere; cum interim Monachi ea precibus, vigilijs, ac laudibus ingentibus maximè colerent. Plurimi quoque, qui ægritudine varia laborabant, Sanctorũ eorum meritis incolumes abiere. Nempe energumenos, ſurdos, cæcos, claudos, elingues, febri oppreſſos, ac variè affectos plurimos benè valere, ea ætas vidit. Interim exigui templi anguſtia frequentiſsimo concurſui, qui in dies augebatur, minimè ſufficiẽs erat. Ideò turris ibi, quæ ad hæc tẽpora vetuſtate veneranda cõſpicitur: quouſque templi ſpatia dilatarentur, erecta eſt. Quo in Auguſtiori loco cum Sacra ea trium Epiſcoporum Corpora cuſtodiæ darentur: Monachi quoque, qui pſallerent, tum milites, qui ea cuſtodirent, adiecti ſunt. Neque enim Venetus populus

ea ad Littorense templum collocari gaudebat: Quare nisi excubias miles perageret: etiam è turri illa potius ad vrbem plebs auida rapuisset. Verùm Templo amplioribus tunc spatijs dilatato, Sacra mox corpora altari duplici, quorum alterum cryptà adhuc subiacet, alterum choro eis diebus supereminebat, pijssimè recondita sunt. Mira fuere, quæ priscis illis temporibus contigerunt, tum antea quàm magna hæc deductio fieret, tum posteà quàm feliciter subsequuta est. Cum enim necdum templum illud vetustius cõstructum esset: Sacerdos Venetus, qui vitā sanctißimè actitabat, itinere arrepto, Magnum Nicolaum alicubi obuium habuit: à quo vniuersa, quæ posteà euenere, veluti facta præcognouit. Etiam gemini fratres Dyrachij ciues, qui ex ipsa vrbe profecti erant, Beatissimum eundem Nicolaum ipso itinere viderunt: à quo, & recens construendi templi, & mox futuræ eius Corporis Venetias Translationis præmoniti sunt. Ad cuius rei indicia Goddinum Monachum quàmprimum Dyrachium remeassent, sibi occursurum fore prædixit: quam rem exitus ipse veram edocuit. Nempe Monachum eum Zeno tunc Littorensis Abbas, leguminibus, annonáque comparandis ad eam regionem destinauerat. Hunc itaque mox ad ostia, quæ ibi Mari adiacent, cum mercatoribus Venetis fratres illi inuenere: cui visio-

nem

nem quoque, ac futuram Nicolai Corporis deductionem prænunciant. Quæ omnia Zenoni deinde Goddinus, vt primum Venetias rediјt, rem admiratus expressit. At Nicolai Translationem haud Zeno factã, qui anno MLXXXIX. obiјsse plus minus inuenitur, sed Vitalis Abbas postea vidit. Interim quæ mirabilia, dum Sacra Episcoporum corpora deferrentur, mari intercesserunt, è Manuscripto eodem, è quo priora desumeus, ita prosequor. Primùm Patriciј Veneti famulus occurrit, qui modicũ è Magni Nicolai ossibus, cum Myræ inuentio sequuta est, sibimet arrogauerat. At Patricius Dominus, re comperta, argenteo Os scypho, scyphum arcella, quò præclariùs seruaretur, conclusit: Episcopi autem sermone, quem mari habuit, tum eorum exemplo, qui ob id Diuinitus mulctabantur, in pęnitentiã versus, Os ipsum restituturus, arcellam referauit. Sacro tunc liquore crateram madefactam Patricius dominus, seruusq; adspexere. Quare Patricius ille rem cunctis illico pandens, Os quoque compunctus Episcopo, Magno verò ipsi Nicolao argenteum obtulit scyphum. Azo Episcopus interim tum Raynaldus Comes, ambo Firmani, Hierosolymas eis temporibus voto profecti erant; Qui eorum, quæ Veneti ad Myram Lyciæ peregerant, fama excitati, eò properantes: vrbemque ingressi, cum templum lustrarent: Firmanum Episcopum

Græcus Archipræsul manu obstringens, ruinis spectandis, è loco ad locum illachrymans deducebat. Hæsit Episcopus, factum miserans. Neque enim aut moeniorum, aut altarium, soliuè pars reliqua fuerat: quorum haud ruinæ paterent. Græcis characteribus incisas eo in templo inter cæteras memorias Azo bis legit ad confractum priùs illud duorum Episcoporum Sepulchrum in hunc modum. Hic duo Metropolitani huius vrbis Episcopi iacent: Quorum alter Theodorus preciosus est Christi martyr, ob fidei testimonium igne combustus. Alter Nicolaus nuncupatus, Magni Nicolai Auunculus: quem cum educasset: Sacris quoque litteris edocuit. *Sepulchro deinde altero, quod medio templi effoderãt, ita eisdem characteribus scriptum quoque conspexit.* Hic Magnus Nicolaus Antistes terris, mariq́ue miraculis gloriosus quiescit. Quem Basilius Imperator ita sigillo conclusit, cum Bizantiũ transferre tentans, spe frustratus abscessit. *Hæc Azo ac Rainaldus cum satis explorata haberent: Hierosolymas profecti: inde post emissa vota, Rhodum: quo in littore Veneta classis adhuc stabat, feliciter rediere. Ibi Episcopus Azo ob atrocem ægritudinem vehementer debilitatus, imminentem mortem valde extimuit. Sed tristem animũ per visum Nicolaus nocte solatus, quàm pri-*

primùm ſe ad Sacras conferret Reliquias, incolumitatem priſtinam ſe ei conceßurum promiſit. Quare ipſo ſummo mane, cum necdum Raynaldus expergefactus eſſet: iuuantibus famulis, ad claſſem pergens Azo Contarenum Epiſcopum adiens, Deinde Sacras Reliquias ſummè veneratus, ſtatim conualuit. Igitur eius, à quo prçcipuè ſanitatem receperat, humile ſe mancipium conſtituens, opportunè, importunè Venetum Præſulem deprecatus, Nicolai dentem obtinuit. Pactum priùs tamen eſt, vt coenobium, ac templum Sancto eidem in Piceno conſtrueret: quæ Littorenſi templo deinde ſubijcerentur. Interim cum iſta pertractarentur, caſu Reliquia è Naui in Mare cecidit: quæ etſi minimè eius profunda petierit: At miraculi neſcius Azo, tantam luctu pertinax inconſolabiliter deflere iacturam. Venetus quoque Epiſcopus ob caſum trepidans, rem ſilentio tegendam arbitratus eſt. Cçterùm tranſacto quatriduo, cum iam claßis vniuerſa mouißet: vaſculum repentè argenteum, quod dentem claudebat, fortè Mari ſupernatare conſpicitur. Id alterius triremis Nauicularij deprehendere, qui parua illico cimba vaſculum anxiè proſequuti: auguſtè, ſanctèque illud venerantes, è Maris fluctibus accipiunt. Sacerdos qui in ea naui præerat: vaſculum reſerauit: intra quod viſus Nicolai Magni dens: quod ipſum eße claris ſchedula

verbis

verbis significabat. Rei Contarenus monitus, atque ideò lætus, cæteris ossibus recuperatam Reliquiam, pęnitens adiunxit. Vtcumque Firmanus Episcopus Azo gratias ei, qui ipsum morte exemerat, prorsus referre decreuit. Posteàquam enim Venetias accessere, arrepto tum ipse, tum Rainaldus (Comes Contareni Episcopi Baculo: se pro monachis Littorensis eiusdem coenobij deuouerunt. Id tamen ita factum conijcio: vt vitæ reliquum in Piceno, Monachorum habitu, aut viuendi tantùm consuetudine peregerint. Antea enim habuit Anonymus, ita pactum, vt Nicolao in ea prouincia Coenobium Episcopus, ac Templum erigeret. Itaque voti reum, rem completurum eò se contulisse arbitror.

Fran. Adam. lib. 1. c. 25. Addo è Firmanæ ciuitatis fragmentis et si priora tēpora auctori latuerint clarum fieri, Azonem ibi in Episcopali Sede, vel ad annum M C XVI. perdurasse. Interim necdum deposito Baculo, quod arripuerant, Magni Nicolai Corpori eidem Ecclesias, agros, vineas, olieta, ac familias (quod Priuilegiū quoque insinuat) Firmanos vtrosque humillimè subiecisse ait Anonymus. Mira deinde postquàm Littorensi in templo Sacra ea Corpora condita sunt, euenère. Nam Petrus quipiam Venetus, cui vix sermo reliquus fuerat, cum manuum, pedum, oculorum, aurium vsus ob grauem morbum, penè amisisset: etiam vlcere pessimo tactus erat: vt

eius

eius quoque viſcera alicubi paterent. Is itaque ad locum, vbi Sacra quieſcebant Corpora, delatus: noctu iacens, per viſum ſanus effectus, abijt gaudens. Galla mulier (quã idem auctor, à quo hæc ipſa exſcribo, ſe allocutum fatetur) cæcitate oppreſſa, ad Sanctorum corpora accedens viſum integrè recepit. Idem feliciter ex agro Patauino mulieri alteri contigit; Curuaque mulier Sãctorum eorundem meritis erecta abſceſſit. E manuſcripto eodem, quo priora, vniuerſa hæc accipio. Verùm è ſtyli ſerie auctorem alterum Tranſlationis, priorem hiſtoriam exaraſſe, alterum poſteà miracula addidiſſe, exiſtimo. Vtcumque ijs etiam etſi poſteriùs, vetuſtis tamen illis temporibus ſcripſit. Gallam enim eam mulierem è cæcitate ad lumen deductam, quam ſe alloquutum fuiſſe habuit: tunc reſtitutam affirmat, cum necdum Nicolai Venetias factæ Tranſlationis fama in orbem peruulgata eſſet. Igitur priora tempora ea fuerunt, quibus auctor ille hæc ſcribens, feliciter viuebat: Ac proinde qui hiſtoriam priorem dictauit, adhuc vetuſtiùs quoque conſcripſiſſe conuincitur. Ipſe licèt poſtremo hoc ſeculo: tamen ſincere è vetuſtiſſimis huiuſcemodi memorijs hiſtoriam hactenus contexui. Alia mox adijcienda ſunt, tum ea in primis, quæ anno MCCLXXXII, contigere. Tunc enim reſerato Sanctorum tumulo, expoſitiſque, ac ſtatim reconditis Sa-

cris

cris Reliquijs, hæc eis temporibus verba, quæ adhuc extant, marmore expreßa fuere.

☞ Anno Domini MCCLXXXII. Mensis Madij die VI. In tempore D. Ioannis Dandulo Ducis, & D. Bartholomęi Quirini Episcopi, & D. Petri Abbatis fuerunt inquisita, & inuenta Corpora Sanctorum Nicolai Magni Confessoris, & Nicolai Auunculi eius, & Theodori martyris inter duo altaria. Scilicet Corpus Sancti Nicolai Magni in medio, & ad pedes eius Sancti Nicolai Auunculi, & ad caput eius S. Theodori martyris, & in MCCLXXXVIII. Mensis Madij VIIII. in tempore eiusdem D. Ioannis Dandulo Ducis, & eiusdem D. Bartholomęi Quirini Episcopi, & D. Francisci Abbatis eiusdem loci prædicta Corpora fuerunt in eodem loco deuotissimè collocata. ☜

Obijt Petrus Abbas prope annũ eundẽ MCCLXXXII. cuius nomen deinceps in membranis haud reperio. Atque anno MCCLXXXIIII. Franciscum Tagliapetra Abbatem lego. Quo adhuc moderante, anno MCCLXXXVIII. Sacra eadem Corpora clausa sunt. At præterea subijcio è scriptoribus Venetis (vt verè

intra

intra Sepulchrum Venetum Nicolai Magni Ossa seruari perspicuum fieret) anno deinceps MCCCXLIII. Sacrum eundem Episcopum vrbem ab imminenti eluuione vnà cũ S. Marco Euangelista Patrono, ac Georgio Martyre misericorditer liberaße. Sanè cum Veneta vrbs ob ingruentes intra Stagnum Maris fluctus fermè anno eo mergeretur: Sanctum Euangelistã ex vrbis magno foro pauperis Nauicularij cymbam ingredi conspectum, Georgianam ad Insulam tetendiße fama est: Georgio vbi Martyre sibi adiuncto, demum ad vrbis Littus S. Nicolaum Episcopali habitu indutũ cymba quoque excepiße. Quare tres insimul Indigetes contra Demonum imaginariam Nauim Mari stetisse: quæ post signum Crucis a Beatis illis oppositum, pelago absorpta fuerit. Veluti igitur Euangelistæ Corpus ab Alexandria Venetias, tum Georgij Brachium è Magna Græcia deducta proprijs tunc in ædibus condebantur: ita & Magni Nicolai intra Littorense Templum verè ossa iacebant. Haud enim secus æqua tribus Indigetibus Venetias fuerit tuendi ratio. Anno deinde MCCCXLVII. (quod Marcus Gradonicus, Venetus Patricius scripsit) Sepulchrum idem quoque patuit. Quo tempore Andreas Dandulus Venetæ Reipub. Princeps ad Sacra Corpora veneranda, vnà cum Quadraginta Viris, Consiliarijs, Aduocato- Apud San.

ribus Marcianæ Ecclesiæ Procuratoribus (quæ varia sunt Magistratuum vocabula) ac Nobilibus plurimis
Apud San. *Littorense templum adierant. Inter hos Marcus Gradonicus, veluti ex ipsius scriptis intelligo, adfuit. Hinc ex oculato teste quis Reliquiarum status, tunc intra Sepulchrum fuerit, ita insinuo.* Maior *(inquit)* capsella accepta fuit extra: in qua erant ossa gloriosissimi Cõfessoris Nicolai terra, marique Miraculis gloriosi. *Quæ ossa candore ferè lactea apparuisse, ita subinfert.* Ossa vero Clarifici Nicolai, Miraculis gloriosi erant alba velut lac, sed confracta, & rupta: quæ quidem credo, & non dubito, esse sua, videlicet Magni Nicolai Cõfessoris. Ossa vero Auunculi erant magis integra &c. *Albedinem ob calcem, intra quam ad Triginta supra Ducentos annos templi centro Myræ abdita sunt, contraxisse anteà habui: quare inde nisi rupta abstrahi potuisse. Interim Martinus coenobij Abbas, eàdem qua antea Petrus pęna mulctatus, fortè quia temerè*
Apud San. *Sanctorum requiem deturbasset: vita illico defunctus est.* Post hæc *(ait Gradonicus)* Martinus viam vniuersæ carnis ingressus, ad patres suos appositus est. *Haud tamen præcedentium exemplo perterritus Donatus Contarenus Abbas, qui deinde anno MCCCLXXXXIX. coenobio præerat: curiosiùs egit.*

egit. Augusti enim mense, quo tempore Sepulchrum idem tertiò apertum est: noctu Reliquias, temerè reuoluens, cæcus effectus, sudore madidus, ac febri æstuans, Septembri deinde mense postridie quàm iterum clausæ sunt: vita functus obijt. Rem expressit Paulus Riccius S. Michaelis apud Polam Abbas, eo tempore Littorensis Monachus. Cæterum tempora, quibus Sacra Corpora visa sunt, Inscriptio, tunc Lapide incisa, in hunc modum perhibet. Apud San. Chron.

☞ MCCCLXXXXVIIII. Augusti XI. die. Tempore D. Antonij Venerio Ducis Venetiarum, Leonardi Delphino Episcopi, Donati Contareno Abbatis, hoc Sacro tumulo aperto, visa sunt Corpora S. Nicolai Magni, Nicolai Auunculi, & Theodori Episcopi, & Martyris; adstantibus prædictis: Corpus Nicolai Magni in medio: ad pedes eius Nicolai Auunculi; Ad eius caput S. Theodori. Et per custodes Ducalis Dominij, & Monachos huius loci, & seniores huius Littoris fuerunt supradictæ Reliquiæ custoditæ, & visitatę pluries ab ipso Dominio, vniuersaque plebe tam vrbis Venetiarum, quàm locorum circunstantium. Vbi suauis odor continuò redolebat, & in dicto Millesimo Die XX. Septemb. dictæ Sanctæ Reliquiæ fuerunt in eodem loco cum vase pleno manna, ibidem reperto, collocatæ vt supra. ☜

Deinceps suauis liquor miraculo è Sepulchro emanauit anno MCCCCXLIII. Quare miro gentium facto concursu, quod per sexennium perdurauit: anno posteà MCCCCXLIX. Sanctorum eorundem tumulus quartò patuit. Ita Cęlestibus Præsulibus, qui ibi

quiesce-

quiescebant, collibuit, quatenus à B. Laurentio è Justiniana familia Venetorum Episcopo gratissimè viserentur. Sanitates quoque variæ tunc sequutæ sunt. Nam Franciscus, quem è Turreta vocabant, Littoris colonus ad dexterum brachium vulnere saucius, liquoris, qui emanauerat, tactu conualuit. Puella etiam, quæ magnis febribus tenebatur, eiusdem liquoris haustu modico incolumis euasit. Factum omne Bartholomęus Veronensis eius coenobij tunc Abbas scriptum reliquit; Apud San.
Qui ad tantam rem deuotè spectandam Veneto Antistiti B. Laurentio Fantinum Dandulum Patauij Episcopum adiunctum affirmat. Igitur aperto Sepulchro, tres in saxi concauo inuentas arcellas habet: ac singulis singulas plumbeas laminas litteris sculptas, scilicet medio S. Nicolaum Magnum, capite S. Theodorum Episcopum, & Martyrem: atque ad pedes San. Nicolaum Auunculum. Addit suauissimi quoque liquoris vasculum ibi repertum: quod cum Nicolai Corpore delatum, fama tuebatur: veluti vnguentum optimũ eòusque seruatum fuiße. Quod idem arbitror: in quo mari Reliquia exsudauit: Patriciusque B. Nicolao obtulit. Apud littor. Monachos.
Quare explico duplicem è Nicolai Reliquijs liquorem (quod acta eius produnt) fluere consueuisse olei alterum, alterum aquæ: ac priorem quia crassior seruari potuisse: cum aqueus, quia labens facilius euanescat. Vtcumque

cumque historiam Bartholomęus prosequitur Lapis, inquit, subtus Magni Nicolai caput supponebatur: vbi Græcis characteribus incisæ in hunc modum litteræ extant.

Ὁ ἅγιος Νικόλαος, ὁ ταπηνος
Τὰ λείψαμα τοῦ μυροβλύτου.

Quæ Latino idiomate sic exprimuntur.

Sancti Nicolai Mansueti
Reliquiæ liquorem emanantes.

Ferè itaque ex ijs, quæ introspecta sunt, integrum Nicolai Corpus tumulo Veneto, aut sanè potiorem valde partem reconditam conijcio. Jam enim sæpius lapides, ac scriptores ad eius caput Theodorum, ad pedes Nicolaum alterum quiescere repetiere. Verè quoque caput intra Sepulchrum reperiri, quia mox lapidem, Græcis characteribus incisum capiti suppositum didici, constanter affirmo. Secus oßa confracta Marcus Gradonicus edocuit. Quod si singula ita aptantur, vt quæ sint superioris, & quæ inferioris partis dignoscantur: optima igitur ossium pars, capitis, pedum, atque eorum, quæ ferme totum Corpus constituunt, intra Ve-

netum Sepulchrum seruantur. Id firmissimis coniecturis astruo: quod variæ iam quartò reserati tumuli memoriæ nusquam dissonæ ex oculatis testibus, quæ, & quot sint, intra arcam Venetam posita Magni Nicolai oßa planiùs edoceant. Secus quia nunc ab septuaginta supra centum annis Sepulchrum perpetuò clauditur, visa efficaciùs referre prohibeor. Interim facta ad Barenses altera Translatio, quia totum se Corpus deduxiße iactitant, ne minimam ossium partem Venetis reliquam admittit. Cum enim Venetam Barensis ad XIV. annos præcesserit, aut certè qui Myram prius appulere Barenses minimè ossa omnia transtulere: aut secus si vniuersorum vt contendit Ioannes nescio quis Archidiaconus, positi sunt, ne fragmentum itaque Venetis reliquum fuisset. At contra Veneta Ducentarum nauium classis, præclarißimis Ducibus conspicua, militibus numerosa, an ementito vocabulo Nicolai Magni Corpus effingeret? Translationis ex amplissimo Maris theatro cæptæ, fama ad vniuersi orbis partes tunc peragrauit. Neque classis Præfecti Contarenus Episcopus, & Michael Principis filius falsas tutelas charæ patriæ supposuissent. Cum Nicolai Auunculi prius, ac Theodori Corpora nacti fuißet: ea proprijs nominibus deferebant. At quia posteà Magni quoque Nicolai verè denuò ossa inuenere; ea itaque haud fictè

eius

eius esse dixere. Hæc ipsa è nostris habeo. Cæterùm à Barensibus minimè integrum deductum fuisse Corpus, è Genuensium historijs insuper confirmo. Gens enim hæc Mari adsueta, gloriæ auida, & , quod dignißimè refertur, pietate prorsus ardens: hinc illinc Sacras auferre Reliquias, prout loca petebant, familiari eodem ac Veneti, more consueuit. Eapropter post Barensem atque ante Venetam deductionem, cum Myram Lyciæ Genuenses applicuissent (quod eorum scriptores produnt) omni studio Magni Nicolai Corpus templo eodem è quo Barenses illud totum rapuisse iactabant, tamen vt abriperent scrutati sunt. Itaque ex istis sic infero. Si gens præclarissima, cui Barensis, quæ præcesserat, translatio minimè latebat, constãter Corpus Nicolai Magni iterũ auferre aggressa est; igitur minimè totũ à Barensibus ablatum fuisse cognouit. Quare Genuensium labor, & opera, quid ea ætas de Barensi Translatione senserit indicat: Nimirum totum minimè eos abstulisse Corpus, sed eius minorem partem: cum sanè potiorem Genuenses posteà studiosißimè quæsiuerint. Quam cum neque tunc nacti essent: potiùs Sanctissimi Præcursoris cineres adepti sunt. Potuit itaque Veneta classis solidiori studio, ac pertinaciori labore insigniora ossa adipisci: cum verus præcipuorum ossium locus neque Barensibus, neque Genuẽsibus manifestus, ruptis tan-

dem

dem difficillimis, quæ Basilius Imperator apposuerat, sigillis, postremò Venetis innotuerit. Præterea vt efficacißimè res comprobetur, habeo è iam Quartùm reserato Veneto Sepulchro Oßa apud Littorenses Monacos Magni Nicolai plurima reperiri; At Barenses nisi Os vnicum auarè commostrant. Itaque apud Venetos potior, penes Barenses pars Corporis minima reperitur. Clarissimè enim qui Barense Sepulchrum frequentant, atque è foramine rem solliciti collustrant, vnicum se intueri Os insigne, pauca verò alia suspicari perhibent. At Præcipuum illud, quod solum clarè conspicitur, an genu, an verò scapulæ existat, se ancipites eße. Accepimus olim ipsi hanc præsertim fidem à V. C. Angelo Grillo nunc. S. Pauli Romæ Reuerentissimo Antistite: cum Littorense coenobium, familiamque omnem Casinensem Abbatis, ac Generalis Præsidis titulo pientissimè regeret. Qui Barium aliquando profectus, se Magnum Os vnicum ad Sepulchri illius foramen introspexiße asserebat: arbitrariq; vtramque verißimè Translationem sequutam. Hinc venerari quotidie Veneta Nicolai Oßa conspiciebatur, atque ad eorum tumulum sibi spem salutis omnem prostratus religiosißimè precari. Illud idem vnicum Os apud Barenses intuitos se esse contestantur Amplissimi alij viri Simplicius Caffarellus (Casini Abbas, eruditione, pie-

tateque conspicuus, Ioseph à Sarno, qui Cauensi coenobio eadem dignitate pijßimè præsidet, Aloysius Iustinianus Venetus Patricius: qui mare hoc superum ad patriæ tutelam gloriosè ad triginta annos sulcauit: quod ipsum Vrsatus Quirino eiusdem nobilitatis vir, Venetæ quondam triremis Prothocomitus aiebat: Idemque M. Antonius Cęlestis, huius vrbis Clarissimus ciuis manifestissimè inquit, se tantùm vidiße, cum Illustriß. classis Præfectum Philippum Pasqualico difficillimis temporibus mari comitatus, etiam Templum Barense introeuntem secutus: e repetitis intuendo vicibus: nunquam è foramine illo nisi Os illud grande vnicum conspexiße, etsi pauca fortè alia suspicetur, egregio testimonio affirmat. Quam eandem rem cum Nostrates omnes atque exteri, qui Barium se conferunt, pariter profiteantur: mirandum sanè est, si quis Ossa reliqua, quæ potiorem Corporis Nicolai partē constituunt, apud Venetos, qui ea quinto ab hinc sęculo obtinuisse cōstantissimè gloriantur: haud reperiri vnquam suspicentur. Verissima enim hæc sunt purissimis intuentium sensibus obiecta. Cumque iam quater Venetum reseratum fuerit Sepulchrum: toties Nicolai Magni Ossa plurima lucidissimis perspecta fuere obtutibus. Cur itaque à Barensibus totum inaniter prætenditur Corpus: cum res nunquam auidissimo cuipiam vestiganti

patuerit? Ipse culpam omnem in Ioannem Archidiaconum inprimis iniicio: qui vt Barium factam deductionem extolleret, tum cæteras, quæ in futurum subsequuturę erant, expelleret: cũctorum Barenses Ossium potitos primus energia expressit. Hinc exagerans (vt scopus sic dignoscatur) inexplicabilẽ eius diligentiam inducit, qui Ossa è Myræ Sepulchro extrahebat. Manibus enim semel ac secũdò Ossa inquit si quę erant vestigasse: sed posteà pedibus etiam audacter ingressum nullum in Sepulchro eo veteri Os Reliquisse: vnde etiam vestibus, & Corpore madefactus exierit. Quę quidem æquiùs fortè Ioannes assereret, si è flumine Ossa illa extrahenda fuissent. At parua in arca neque tam grande studium necessarium fuit, neque plena illa madefactio totiùs hominis sequi debuit. Cæterum cuncta eò spectasse probè intelligo, vel vt alij ab studiosiori vestigatione apud Myram timidi deterrerentur: aut si qui feliciùs quàm Barenses Ossa alia insigniora plurima posteà nacti essent: præmissa illa à Ioanne omnium deductionis Ossium fama, cæteras, quæ aliò contingerẽt, fide suspectas pro viribus redderet. Exinde scilicet præclarior, celebriorque ad Barense Sepulchrum concursus fieret. Secus enim nisi hic Ioannis extitit scopus: cur factum scriptis amplificandi tam grande studium fuit? Aut cur etiam, inquam, tam feruida in-

uestigandi Ossa sollicitudo? Aut quamobrem is, qui è Myrensi Sepulchro Ossa extrahebat: postquàm sedulo hæc manibus vestigauit, pedibus deinde quoque ingressus, alia Ossa quærebat? Jnquam aptissimè, id toties repetitum, quia cum nisi Os vnicum tunc reperisset, in admirationem valde inductus, reliqua, quæ numquam inuenit, manibus, pedibusque obtinere contendebat. Quare moderatiùs is, qui Venetam Translationem Anonymus dictauit, æquiùsque conscripsit: Neque enim Barensi, quæ portionis exigue facta erat, detrahere vnquam studuit. Potiùs candide scribens Myrensium æditorum verba haud suppressit: quibus cum priorem arcam veterem Venetis ostenderent: vsi sunt. Ea ex ipsomet auctore hæc fuere. Hæc est (inquiunt) Arca: vnde Barenses partem reliquiarum abstulerunt, partemque reliquerũt: si vuultis illas tollite: nosque dimissos facite. Quæ verba clarum est quidem propterea à custodibus dicta, vt se eximerent (Neque enim ibi à Barensibus Oßa relicta reperiebantur: sed medio tẽpli: quæ res fuit ipsis ignota) Eos vtcumque aliqua tantum abstulisse Ossa, tum Æditui, tum Veneti milites, ac scriptor Anonymus vetustissimis eis temporibus sentiebant: neque Barensium deductionem, vti vera quoque adhuc est, tunc inficiabantur. Deinceps in veteri ea arca (vt sic haud binæ

historiæ

historiæ se inuicem euertant) vnde Oßa omnia Barenses abstulisse profitentur, Veneti nisi oleum, & aquam se inuenisse perhibent. Confractam quoque eam arcam nostri affirmant. At Barensis scriptor, eius Lapidea frusta Barium deducta, habet. Sincerè itaque Venetus ille vetustissimus dictator, nulla Barensibus inflicta macula, nulli expositus contrarietati Translationem Venetam exarauit. At Ioannes Archidiaconus eunctorum Oßium ostentatione nimia rem Venetam iniquè infirmare sategit. Qui interim an incorruptè nunc legatur, vt vel sic culpa immunis existat, vehementer suspicor. Fortaßis enim si, nulla mutata historia, legendus daretur, minimè Venetias factæ Translationi officeret. Ad id asserendum deducor: quia Translationis Barensis codici apud Littorensem Bibliothecam seruato, aliqua desunt, quæ vberius apud Surium leguntur. Stylum quoque variū sæpe experior. Quam rem vt Surio, qui laudabili consilio Sacras res inornatè scribere recusauit, vltrò indulgeam: ea interim, quæ apud nos seruatur, proemio caret, eisque carminibus, quæ apud Surium de Græcis querelis leguntur. Hinc varias quoque alias lectiones dari coniicio. Intereà (vtcumque Ioannes scripserit) alia, quæ Corporis totius Barensem Translationem firmare, Venetam euertere videntur, præterea perpendenda sunt. Extat

Vrbani

Baron. Ann. *Vrbani Pont. eius nominis II. apud Baronium diploma pro Barensi deductione emissum, quo inter cętera, Deũ, Barensem Ecclesiam Sancti Nicolai Corpore visitare dignatum esse affirmat. Quod quidem vel Synechdoche prolatum est à Pontifice, frequenti totius Ecclesiæ consuetudine: aut sanè litteræ deprauatæ sunt. Si enim quipiam eas integri Corporis nomine rigidè accipiendas contendat: ita attentiùs rem perpendens obijcio. Ad templi enim aditum Nicolai Reliquias Pontifex eisdem litteris semet detulisse habet. Si itaque Corpus integrum deferendum fuit: minimè solus Pontifex id decenter præstitisset: ac melius sanè auxiliares alij requirerentur. At quia non integrum: ideò tunc Reliquiarum vtitur vocabulo: quo, & litterarum initio vsum fuisse, haud remotè è posterioribus perpenditur: tum fuisse ab alijs deinde vocabulũ immutatum. Huiusmodi enim arte, & Annalium Ecclesiasticorum auctorem aliqua è Sigeberti historia variasse, vt Translationes, Corporum nomine factas euerteret, Historiam Georgianæ Iusulę describens præmonui. Vbi enim* Sigib. histor. Baron. An. Corpora, *Sigeberti seorsim editum historiæ volumen habet, auctor ille præclarissimus medendi gratia*, Capita *intra annales supposuit*. Theodoricus (*inquit Sigebertus*) Metésium Episcopus Imperatori sanguine, dilectione, ac familiaritate cæteris deuin-

ctior,

ctior, dum in Italica expeditione per triennium sub eo militaret: multa corpora, & pignora Sanctorum de diuersis Italiæ locis quocumque modo potuit collegit. *At Baronius* multa capita, & pignora *legendum exhibet. Nescio an hic idem auctor Reliquiarum loco Vrbani diplomati Corporis vocabulum prior induxerit. Secus enim si fortè in corruptum: erit is adsuetus Ecclesiæ mos, quæ Synechdoche, nec semel insignes Sanctorum corporum partes Corpus nuncupare consueuit. Rueret nimirum aliàs Veneta Translatio. Atque Os, quod fermè vnicum Barenses, è Sepulchri foramine monstrant, ac pauca alia, si quæ sunt, integri perperam vocabulum Corporis sortiretur: quorum neutrum ex ijs, quæ anteà diximus, asserendum est. Jnterim litteras alias à Pio eius nominis Secundo Pontifice pro Venetis datas, Barensibus oppono: quæ etsi non tantæ vetustatis, æqualis tamen auctoritatis cum sint, mirum in modum Venetam Translationem obfirmant: Huic enim assentiens Pontifex, etiam festo Inuentionis Sanctorum Corporum, criminibus expiandis gratias elargitur. Seruantur adhuc apud Littorense templum. Habeo insuper Joannis Patauini Episcopi fermè Translationi coæui testimonium: qui Sanctorum Corpora, de quibus hactenus egimus, Venetias delata egregiè confessus est, tum ob id, vt*

alacrius,

alacrius, templo ædificando incumberent, à Decumis in posterum exsoluendis Littorenses Monachos eis, quæ mox prodemus litteris, liberali muficentia exemit tertio post Quinquagesimum anno transacto, postquàm Sacra ea Corpora Venetias deducta fuerant. Assumptus ad Episcopi dignitatem Joannes fuit anno MCXLIX. Ita enim Catalogus Patauinorum Episcoporũ, cuius apud me exemplũ è Cancellaria Patauina desumptum habet: cum post Bellinum Theutonicum Joannem septuagesimum secundum Episcopum inducit LXXII. Ioannes de Cacio Patauus Miles ac Doctor anno Domini Creatus Episcopus MCXLIX. Sepultus est in canonica Ecclesiæ Cathedralis propè ostium Baptisterij. *Itaque anno eius Episcopatus Quarto qui fuit nostræ salutis MCLIII. huiusmodi litteras pro Littorensibus Monachis dedit.*

In nomine D. N. Iesu Christi Anno Incarnationis eius Millesimo Centesimo Quinquagesimo tertio. Regnante D. N. D. Federico Imperatore, Tertio Kal. Martij Indictione quarta. Ego in Dei Nomine D. Ioannes Diuina Gratia Sanctæ Patauensis Ecclesiæ Episcopus Monasterio seu Ecclesiæ San. Nicolai, terra, marique Magni in littore sito prope Venetias dono, &

offero

offero pro reparatione eius; quæ nunc de nouo mirabiliter fabricatur, ad laudem Sanctorum, qui nuper in eadem Ecclesia requiescunt: vbi, & quasi totus mundus ad eorum suffragia concurrit, beneficia eorũ intercessionibus, & sanitates vnusquisque pro suæ mesura fidei reportãs, &c. vt mihi quoque, & omnibus successoribus meis ad remedium prosit sempiternũ. Ideoque ego qui supra D. Ioannes Sanctæ Patauensis Ecclesiæ Episcopus tibi D. Gregorio præsenti, præfati Monasterij S. Nicolai in Littore propè Venetias Abbati, & tuis fratribus, qui Deo ibidẽ seruire videntur, vel successoribus vestris in perpetuum dono, & offero totam, & integram Decimam omnium possessionum vestrarum sub mei Episcopatus iurisdictione sitarum &c. Si ergo ego ipse, quod Deus nolit, vel quisquam successorum meorum contra huius nostræ concessionis, & obligationis scripturam voluerit molestare præfatum Monasterium, aut Abbati, vel fratribus, qui erunt in illo tempore aliquam diminutionem fecerit, aut aliquid ex Decimis illarum terrarum vlla occasione attulerit: omne damnum, quod datum fuerit, me, successoresque meos in duplum restituturos promitto, & obli-

go. Et insuper Sanctos Dei Nicolaum, & suos socios in illo relinquo vltores, & inuoco &c. Actum in Domo Episcopali in Pausatorio, vel Cœnaculo Domini Episcopi.

Subscripsere litteris Ioannes ipsemet Episcopus: Obizo Archipresbiter, Gauslinus, Bertaldus, Maximus, Ranibaldus, Bedo, Arnaldus, Leo, Papi, Naticherius, atque Agitardus presbiteri. Quibus additi sunt Roza, Gondobertus de Forzate, Viso Gruntarenus, Bondometes, ac Narchesius de Scarpatijs præclarissimi testes. Quas litteras Prosdocimus Maximi, vici S. Julianæ Tabellio roborauit. Quare è sex supra decem testibus Episcopo adiunctis, atque è Tabellionis fide, insigne Translationis Venetæ testimonium elicio. Ac Sanctorum Corpora nuper translata fuisse, in quorum gratiam templum tunc extruebatur, litteræ perhibent. Demum quos priùs Sanctos recẽs in templo Littorensi quiescere asseruit Io. Episcopus, eos posteà Nicolaum, & Socios clarissimè nuncupauit. Erit itaque præclarissimum Ioannis Episcopi Testimonium, Nicolaum Magnum terris, marique miraculis inclytum, et Socios Nicolaum alterum, ac Theodorum, tẽporibus, quibus ipse in humanis erat, Venetas oras, ad quas eorum Ossa deducta fuerãt, miraculis plurimis illustrasse. Et si enim Ioannes idem ad Episcopi dignitatem

nisi

nisi anno MCXLIX. Sublimatus est: ad maturam tunc tamen ætatem pertigisse, quæ in Pontificatu requiritur existimandum est. Quare antea quoque preuixisse sentio, cum Translatio Veneta sequuta est anno MC. Quæ vniuersa ideo præmissa à nobis sunt, vt minimè Urbani Pontificis litteras, ita rigidè alij accipiant, quasi integrum omnino Corpus Barium delatum affirmare voluerit: Cum etiam è Pontificis O. M. Pij eius nominis II. Diplomate, quod apud Littorenses Monachos seruatur, Veneta quoque Translatio firma existat. Licèt enim intra Breuiarij, ac Martyrologij septa Barensis inducta sit: neutiquam tamen Veneta negāda erit. Jlla nimirum Synechdoche tantum vera est. Adijcio insuper, neque vniuersa, quæ aut Breuiarium, aut Martyrologium de Sanctis legenda habet, sic fidelibus proponi, quasi ea de fide credenda sint. Eius sanè generis plurima in Ecclesia legi Gelasius primùm Summus Pontifex, ac deinde Baronius Cardinalis asseruit, quæ interim tamen Apostolica illa lance libranda relinquuntur, Omnia probate, quod bonum est, tenete. E quorum serie nec dubium, quin Barensis Translatio quoque existat. Haud itaque, quia hæc in Ecclesia legitur, propterea Veneta à Pio Pōtifice collaudata, falsa erit. Potius enim vera ùtraque censenda est: si ex vtriusque testimonijs sincerè perlectis, veritas, nul-

Gelas. Dec. Gr. d. 15. c. 3.
Baron. tom. 10. apend. ad. to. 2.

lo exagerationis dolo perpensa, candidè à scriptoribus producatur. Sed factiosos Barensis Translatio scriptores nacta est: qui vni narationi fidem comparare, cæteris demere, summis animis studuerunt. Sigebertus, qui ad annum MCXII. chronicon deduxit, Ioannnem Barensem Archidiaconum sequutus: anno MLXXXVI. Venetis inquit Ossa S. Nicolai auferre meditantibus: eos præuenere Barenses. *Quare variam ego priscis illis temporibus vtriusque deductionis historiam percurrisse, fama vtri vellet, latius fauente, perpendo. Id enim è pertinaci Barensium narratione exortum quoque esse. Vt Sigeberto tamen respondeam: perspicaciores eum sua historia inducere Barenses, quàm par est, subridens oppono. Quì nempe factum, vt Venetorum meditationes ante annos quatuordecim gens ea, futurorum minimè præscia, cordium haud scrutatrix penetrare potuerit? Barensium enim Translatio anno è Sigeberto MLXXXVI. at Venetorum altera anno MC. sequuta est. Fauisse igitur Barensibus Sigebertum, Venetis verò libera voluptate detraxisse, ex odiosa comparatione, quam inducit, elicio. Itaque auctorem adeò sedulum, qui etiam animorum secreta historiæ commendare ausus est, veluti falsitatis suspectum, prorsus reÿcio. Plurima enim, & odio in Gregorium Pontificem eius nomi-*

uis

nis VII. familiari factione conscripsisse vt Heinrico Imperatori placeret, ex eius voluminibus clarum est. Sed valde hìc interim suspicor, aliqua Sigeberto ab alijs adiecta fuiße, cum neque de Ioanne Papa femina antiquioribus voluminibus scripsisse, Panuinus conspexerit: fraudulenter tamen ea fuerit fabula recentioribus typis admixta. Leo Ostiensis Cardinalis, qui Casinense Chronicon compilauit, anceps legitur. Nam in duobus codicibus, quorũ alter Venetijs anno MDXIII. alter Parisijs MDCIII. editus est, Veneta Translatio prorsus inducitur. Sed editio deinde alia, quæ Matthæi Laureti Abbatis studio anno MDCXVI. Neapoli prodijt, Barensem veriùs deductionem habet. Ipse hanc veluti è Casinensi Bibliotheca desumptam, lectionem accipio: ac Leonem Synechdochè loquutum affirmo. Venetam verò produxiße vnquam, interim inficior: cum sanè ad tempora, quibus euenit, suum Leo chronicon minimè produxerit. Itaque quicunque eam illius auctoris operis induxerit, inaniter id præstitisse, ingenuè fateor. Barensis enim anno MLXXXVII. VII. Id. Maij ab eo auctore tardiùs quàm Sigebertus facta conscribitur: quo anno, & die nullus auctor Venetam euenisse affirmat: estque verè anno MC. secuta. Haud igitur à sciolis Barensis deductio è Leone ostiensi abradenda erat, cum sanè synechdoche

quem-

quemadmodum exposuimus, accepta; Venetam minimè euertat. Durandus eo volumine, quod Rationale Diuinorum Officiorum nuncupauit, Heinrici eius nominis IV. Imperio Oßa Magni Nicolai Beneuentum deducta habet: sed perperam; Nisi enim Barensem, ac Venetam Translationem cæteri legendas proponunt. Equilinus Episcopus Venetam duntaxat, prout hactenus exposita à nobis est, penitus accipit. Asserere interim alios, apud Barenses Nicolai Corpus quiescere, post eius acta conscripta, breuibus inquit. Fusiùs tamen proprio in loco, studioseque Translationem Venetam prosequutus est. N: Puteolanus Episcopus ad eam dignitatem è Dominicana familia aßumptus in volumine, quod Satyricam rerum gestarum nuncupauit, Venetam recenset. Habetur codex apud Carthusianos Florentiæ. Vuernerus Roleuuinchius Carthusianus, qui Fasciculum temporum nuncupatum volumen composuit, corripiendus bis est. Cum enim priùs Translationem è Myra Barium sequutam posuisset: deinde Bario Venetias Nicolai Corpus deductum fuisse scribit. At Myra minimè Bario Venetias Nicolai Corpus Translatum est. Tempora quoque inconstanter protulit, cum vniuersa ab anno MLXXXVI. ad MLXXXXIIII. euenisse affirmet. Sed Barensis quidem anno MLXXXVI. Veneta vero MC.

subse-

ſubſequuta eſt. Carolus Sigonius Venetam tantū deductionem è Myra ſequutam recenſet anno M XCVIII. biennio factum anticipans. Cæterùm ſcriptorem hunc grauiſſimum ad annum reſpexiſſe arbitror, quo Veneta primū claſſis mare peragrabat, eumque MXCVIII. coniectaſſe è Gulielmo Tyrio, à quo Venetos quoſpiam ante, & poſt Sigoniū, ſupputatione perperam accepta, errandi anſam hauſiſſe exiſtimo. Intereà tamen Gullielmi codex, etſi ea tempora properè euolutus innuere videatur: Sed attentius perpenſus, niſi anno M IC. claſſis Venetæ meminit. Poſt annū ſcilicet MXCVIII. quem expreſsè nominat, dum menſes alios deinde ſingillatim recenſet, ad annum M XCIX. perueniſse, antequam Venetos mare tuentes inducat, ex attenta eius voluminis lectione dignoſcitur. Itaque ex Anonymo noſtro, vetuſtiſſimo eorum temporum auctore, tum Sigonius, tum Faroldus, ac Sanſouinus, qui Venetam Tranſlationem anno M L XXXXVIII. factam dixere, tum alij, qui eam vtcumque ante annum M C. ſequutam exiſtimant, planè corripiendi ſunt. Venetos enim ferme omnes præter vetuſtiſſimum eum auctorem circa tempus errare perſpicio. Conſtantiſſimè tamen, tolerabili varietate ijdem ſinguli Oſsa Magni Nicolai deducta propè ea tempora plus minus fuiſse conſentiunt. Quare hactenus ex eis, quæ tum priori, tum

è lib. 7. c. 21. 22.

poſte-

posteriori æuo conscripta sunt, atque ex Ossium vtrobique tam Barij, quàm Venetijs introspectu, iam Translatio utraque, quorum Ossium facta sit, planißimè intelligitur. Interim tamen Barenses è gentium inueterato concursu, quæ vndique orbis ad eorum Ecclesiam confugiunt: tum è liquore, qui etsi parum exsudet, amplißimè tamen è Nicolai Sepulchro illo profluere fama est: singula fermè, quæ Venetam Translationẽ astruũt, præsertim exturbant. Id scilicet, quod Ioannes Archidiaconus eorum historiæ scriptor antea contenderat, iam adsequuti sunt: Habitaque Barium Translatio, quia præcessit, plusquam Veneta, quæ post annos XIV. subsequuta est, nunc celebrior habetur. Concursus namquè ad Barense Sepulchrum ideò frequens existit: quia ex amplissimis famæ vocibus priùs Christiana gens congregari potuit. Liquor præterea, quem vbertimè Barensi Sepulchro emanare, vbique prædicatur, vberrimèque Barenses orbi fermè omni elargiuntur: cur non plurimos ad ipsum pijßimè colligendum alliceret? E Sepulchri quoque Barensis foramine, et si minori fidei merito, iucundiori tamen vel vnicum Nicolai Os clarè conspiciunt. At Venetum Sepulchrum perpetuò penè concluditur. Quod si vniuersis quidem temporibus aperiretur: si liquor effusus continuò proflueret: ad ipsum sanè venerandum, plebs Christianorum

rueret

vueret vniuersa, nullusque celebrior Veneto, ad Nicolai Sepulchrum concursus existeret. Vtcumque è remotissimis regionibus Nicolai Ossa plurimi summè veneraturi Venetias quotidie accedunt. Frequentissimumque priscis eis temporibus Venetum concursum fuisse, Joannes Patauinus Episcopus eis litteris, quas anteà retulimus, testatus est. Quare eorum pietati satisfacturus, qui nullo liquoris sensu, Magni Nicolai Ossa intra Littorense templum condita sanctissimè venerantur: aliqua de Sacro eo liquore, an è Veneto Sepulchro effluat nec ne, subijcere inducor. Itaque in primis, id quod plurimi vberiùs, quàm re vera fiat, oleum è Barensi arca emanare arbitrantur, firmissimè retundo. Gregorij enim Sanctissimi Pontificis eius nominis XIII. temporibus, præclarissimi scrutatores, qui factum vestigarent, Barium destinati, non adeò vbertim liquorem eum fluere retulere, quantum fama amplissimè ipsa ferebat. Rem ex Ambrosij Asulani S. Iustinæ Patauinæ olim Reuerentissimi Abbatis verbis accepi, qui rem cum fieret, Romæ commorans, edoctus fuerat. Præmitto itaque, minimè veluti è Scyphone liquorem eum fusiùs fluere, verùm sudoris fermè ad instar paullatim veriùs generari incomprehensibili causa. Deinde subijcio, Sepulchro Veneto triplici clausurà Nicolai Ossa concludi, plumbeà priùs præte-

reà cedrina, demum lapidea arca. Quare humorem fortè è Venetis Ossibus ita effluere priùs contendam vt quia tamen sudoris ad instar modicè generetur: antequàm è Sepulchro exeat priùs euanescat. Huiusmodi quidem euentum è vasculo liquoris cuiuspiam expertus sum: quod citò euanescente materie, vacuum apparuit.
Ap.San. Subinfero deinde Bartholomęi Abbatis rei occulati testis relatum à Sanuto testimonium, qui in eo Chronico, quod de Littorensibus rebus editum, nunc desideratur, liquorē extra Sepulchrū prorsus anno MCCCCXLIII. emanasse, scriptum reliquit: quam rem anteà quoque hoc volumine innuimus. Quod itaque B. Laurentij Iustiniani Venetiarum Episcopi meritis, (vt adscribo) tunc extra tumulum factum est, cur intra perpetuò fieri eo modo, quo pręmisimus, falsum erit? Interim liquor ille, qui tunc è Sepulchro profluxit, vase exceptus, cæteris, quæ extra coluntur Reliquijs adiunctus fuerat; quod posteà euanuit, nuncquè vacuum vas, extincto liquore, schedulam adhuc habet, vbi scriptum De S. Nicolai manna. Igitur (nisi malè conijciam) fortè intra Sepulchrum Venetum priùs humor exsudat: deinde quia modicè fluit, citò quoque, antequam ex arca emanet, absumptus ab ambiente aere, euanescit. Vtcumque tamen id fiat certè mari intra crateram argenteam conclusum Os, cum Translatio sequeretur, ex sudauit:

dauit: quod nos ante retulimus: Ac B. Laurentij Iustiniani Episcopi, & Bartholomęi Abbatis temporibus terris quoque è Sepulchro affluentißimè liquor sanitates perficiens exijt. Quod ipsum, & ad alia Sanctorum Sepulchra aliquando tantum profluxisse, diutiùs ceßaße, certum est. Audiuimusque ipsi nostra hac ętate ad S S. Benedicti, & Scholasticæ Casinensẽ Tumulum id contigisse, vt præclara aeris siccitate, extra arcam largissimè liquor manauerit: vnde etiam sanitates miræ subsequutæ sunt. De Andrea quoque Apostolo sic Gregorius Turonensis Episcopus scribit. Andreas Apostolus Magnum miraculum in die solennitatis suæ profert, hoc est manna in modum farinæ, vel oleum, cum odore nectareo, quod de tumulo eius exundat, per id enim quæ sit fertilitas anni sequentis ostenditur. Si exiguum profluxerit: exiguum terra profert fructum. Si verò fuerit copiosum, magnum arua prouentum fructuum habere significat. Nam ferunt, in aliquibus annis, in tantum è tumulo oleum exundare, vt vsque medium Basilicæ profluat riuus ille. *Immo, & Beatissimi ipsius Nicolai Acta aliquãdo aqud Myram liquorem manare cessasse, habent: cum Sanctus quidam Episcopus ex eius Vrbis Sede exturbatus fuißet. Quo deinde in propriam Sedem*

Gre. Turon. Mirac. li. 1.

reducto, liquorem iterum profluere continuasse. Apud Tripaltam quoque oppidum, quod intra Samnites constructum est, ad S. Ipolisti Sacerdotis, & Martyris tumulum ipsis tantum solemnibus, ac vigilijs, quæ in eius honorem quotannis celebrantur, liquor miraculosè effluit: cum tamē per cætera anni spatia id nusquam
Descrip. Ital. fol. 269.B. eueniat: quam rem Leander Alberti Dominicanus testatur. Itaque è Sanctorum Sepulchris interdum emanare liquorem, diutiùs remorari, veluti Diuina consilia decernunt, è tam præclaris testimonijs certissimum est. Quare id ipsum Venetis Nicolai Ossibus contigisse inquam. Cum enim priùs Myræ intra bituminis, aut calcis materiem plusquam Ducentis Triginta annis templi visceribus stipata iacuerint: exinde siccitatem contraxiße existimo. Præualuiße nimirum edacissimam eam materiem, atque humorem, qui anteà Ossibus Sacris indictus erat, absumpsisse. Ita sanè Deum rerum omnium moderatorem permisiße asserendum est; cum secus Reliquiæ illæ, terræ abditissimis receptaculis conclusæ frustra liquorem, quem nemo ad salutem tunc colligeret, emisissent. At Deus nihil frustra facit. Potuisse autem humorem eum priùs indictum à voraci calcis materie superari, ex eo quoque colligo, quòd integra etiam Sanctorum Corpora aut Copronymi, aut alterius præcepto combusta; ignis prorsus

sus

ſus abſumpſit. Immò, & leuius offendiculum incorruptum ſecus Sancti Caroli cadauer aquæ guttis, (vt inquiunt) ſæpe cadendo alicubi commaculauit. Quod idem de alijs Sanctorum Corporibus affirmari poteſt. Potuit itaque ignea calcis, Nicolai Oſſium noſtrorum, virtutem, qua liquorem emittebant, vehementiſſima exſiccandi vi prorſus comprimere, ne deinde in poſterum exſudarent. Vt enim id præſtent, Deus menſuratè concedit: indicta nimirum tanta nec maiori profluendi virtute, quanta ad leuiſsimum liquorem miraculosè excitandum ſufficiat. Quemadmodum etiam tantam nec maiorem Sanctorum quorundam Corporibus virtutem tribuere conſueuit, quanta communi corruptioni cęterarum rerum, quæ ab ambiente aere eſt, immunia fiant. Vt verò ab igne aliquando exempta ſint, quod de Præcurſoris dexteræ manus Reliquia Venetijs anno MCCXV. contigit, id maiori miraculo factum eſſe inquam. Alia enim eiuſdem Oſſa in cinerem redacta nunc Genuæ (quod præmiſimus) è Myra delata coluntur. Cur verò aliquando Reliquiæ Sanctorum exurantur, interdum euadant, ad Dei iudicia abditiſsima reuoco. Interim me exinde deduxiſſe ſatis ſentio: potuiſſe quidem Veneta Nicolai Oſſa virtutem profluendi, vi calcis abſumētis amittere, quod Sacra quoque alia Corpora ſecus incorrupta è vehemen-

Sanſou. Ven. libro 13. & Paruo Chr.

tiori

tiori alio consumendi principio, quàm sit aer commaculata fuere. At nunquam Virtus Diuina defecit: quæ cum sibi collibuit, miraculum renouauit. Sensere nonnulli e Venetis quia Barenses Sepulchri Myrensis Lapides secta Barium è Myra ipsa detulere (Id enim Ioannes Archidiaconus habet) Iccirco è lapidibus illis haud ex Osse liquorem apud Barium effluere. Remque astruere conati sunt, quod in Sacro Nicolai festo ita canere consueuimus.

Nam ex tumba eius oleum manat:
cunctosque languidos sanat.

Tum quia è Toletano Breuiario huiusmodi carmina recitari consueuiße Baronius refert.

Cuius tumba fert oleum
Matres oliuæ nesciunt.
Quod Natura non protulit.
Marmor sudando parturit.

Itaque si hæc vera sunt: minimè ex Ossibus, verum è saxo durissimo oleum illud exsudare contendunt. Cæterùm ipse secretissimũ hocce effluendi principium etiam in marmoribus venerans, haud tamen exinde ab Ossibus negandum sentio emanare præsertim consueuisse. Neque enim è Sepulchro Sanctitatem Oßa accipiunt: potiùs quia Ossa Sacra veriùs existunt, inde tumulus quoque venerandus est. Verisimilius tamen perti-

pertinacibus opponerem, tantùm vnico Nicolai Osſi humoris virtutem ingenitam eſſe: illudque apud Barenſes ſolummodo ſeruari. Quare ibi quoque duntaxat exſudare Nicolai Reliquias. Verùm cum Oſſa quoque Veneta, vt præmiſimus, mari, terris liquorem miraculosè emiſerint: iterum ad abditiſsima Dei Conſilia confugio; ſciolisquè iam ad operis calcem nodum propono. Cur Barij Oſſa Nicolai humorem emittunt, ſed Romæ ad S. Pauli, tum ad S. Crucis, vt vocant, in Hieruſalem Reliquiæ eædem minimè exſudant? Eſſe itaque huiuſmodi arcana fatendum eſt, quæ Deus ineffabili Sapientia decernens, ſibi præſertim cognita quoque voluit. Cuius Iudicia curioſiùs perſcrutari vetitum eſt, venerari ſalubriùs. Ita ſanè nodus veriſſimè explicandus eſt. Interim ſatis proloquutus: me ipſum à ſcribendo remoueo. Cumque Tranſlationem vtramque ſincerè perceptam ſimul veram exiſtimem: etiam Barenſem venerans: Venetam tamen in primis conſiſtere, ex hactenus dictis, epilogo habeo. Vtcumque vniuerſa, quæ congeſſi, Eccleſiæ Sacroſanctæ Romanæ vltro lubens ſubijcio.

FINIS.

DE TRANSLATIONE EADEM VENETIAS SEQVVTA EXCERPTVM

E Petro de Natalibus Equilino Episcopo, qui floruit circa annum MCCCXL. e Lib. 5. Cap. 65.

CATALOGI SANCTORVM.

DE TRANSLATIONE CORPORIS Sancti Nicolai.



RANSLATIO *Corporis Sancti Nicolai de Mirea ad Ciuitatem Venetiarum facta est anno Domini M L X X X V I. tempore Vrbani Papæ Secundi, sub Petro Patriarcha Gradensi, & Vitale Michaele Duce Venetiarum, atque Henrico Contareno eiusdem Ciuitatis Episcopo. Cum enim Vrbanus Papa generale passagium in recuperationem terræ Sanctæ*

cunctis

cunctis fidelibus indißet: multi Venetorum cum nanium copiosa multitudine ad dictum paßagium nauigarunt. Quorum exercitus Dux extitit Ioannes, prefati Ducis Venetorum filius: cum quo perrexit etiam dictus Castellanus Episcopus. Qui postquam cum eorum nauigio apud Rhodum Insulam hiemassent: inde discedentes, vt Hierosolymam peterent, vento eis aduerso insurgente, inuiti appulsi sunt ad Myreorum patriam, iam quasi totaliter à Turcis depopulatam. Tunc Episcopus, & Dux cum suis armatis ad Ciuitatem accedunt. Et quia iam quid facturi erant, inter se tractauerunt: quatuor tantum custodes Ecclesiæ S. Nicolai reperiunt. Quos tentos adulationibus, & promissis, ac comminationibus exhortantur, vt vbi Corpus S. Nicolai quiescat, reuelare procurent. Illi vero dissimulantes, vel antiquitate forsan ignorantes arcam in capite fractam muro adhærentem ostendunt: ipsam esse S. Nicolai confingunt: de qua Barenses partem Reliquiarum eius abstulerant, partem dimissam asserebant. Ad quam illi concurrentes nihil in ea præter aquam, & oleum inuenerunt. Cumque muros Ecclesiæ in locis pluribus, & pauimentum effodissent: atque altaria diuisissent: & nihil de optato penitus reperissent: custodes illos tormentis afficiunt, veritatem edicant: Qui post multa verbera, & sibi illata flagella,

vix tandem ab eis, quod nouerant, extorserunt. Nam arcam ostenderunt: in qua duo Sancti Praesules Magni Nicolai praedecessores quiescebant in altari videlicet principali S. Ioannis Baptistę, scilicet Theodorus, & Nicolaus, Magni Nicolai patruus. De Corpore autem Sancti Nicolai Magni nihil penitus se scire dixerunt. Cuius rationem verisimilem assignarunt. Cum enim vt in gestis Graecorum contineri dicebant: Vasilius Constantinopolitanus Imperator ad Imperialē vrbem S. Nicolai Corpus deferre voluisset: & vsque ad ianuas Ecclesiae Ossa delata nullo ingenio illa inde educere potuisset; iratus iurasse dicebatur, postquam Corpus illud habere non poterat; tali loco ipsum se locaturum, quod nullus vnquam inuenire poterit, nec habere. Hanc ergo custodum confessionem Episcopus, ac Veneti veram esse praesumentes, arcam ostensam rumpentes duorum praedictorum Sanctorum Episcoporum Corpora in arcellis singulis cypressinis inueniunt: & eorum epitaphia, vt custodes dixerant legunt: eaque inde leuata ad naues ducunt. Desperantes amodo de S. Nicolai Magni Corpore inueniendo. Verum quidam illorum diuinitus inspirati, in Ecclesia retardantes, & locum vbi altare S. Nicolai primò dextruxerant, perscrutantes, inopinatamque fragrantiam odorantes, suspicati sunt, aliquid ibi preciosum latere. Praetereà

quidam

quidam ex eis, qui aliàs ad ipſam vrbem deuenerant; recordati ſunt, quòd in præcipuis ſolennitatibus Archiepiſcopus Myreorum non in altari, ſed in loco quodam plano ſuper tripodem celebrabat: ſupra quem locum imago Sancti Nicolai recta linea depicta erat. Ex quibus omnibus coniecturis motus Epiſcopus Caſtellanus locum ipſum effodi mandauit. Sublatiſque magnæ molis lapidibus vitream maſsam ad frangendum grauem, & penetrandum difficilem inuenerunt. Qua tandem confracta ſecundum de Bithumine non minus laborioſum ex hauſerunt. Tertiam denique maſsam duabus fortiorem, quæ de Cupro muſeleo cum bithumine glomerata fuerat magnis viribus irruperunt: vbi theſaurus multiplici labore reſeruatus apparuit: odorque inde miræ ſuauitatis exiuit. Cum quo, & palma, quam B. Nicolaus de Hieroſolymis aportauerat ſepulta fuerat: quæ circa S. Corpus virides ramos, & frondes pullulauerat. Vnde multi collegerunt: & in teſtimonium ad propria detulerunt. In Sepulchro autem illo Græcis litteris ſcriptum erat. Hic requieſcit Magnus Epiſcopus Myreorum Nicolaus terra, marique glorioſus. Corpus igitur inde leuantes flentibus Canonicis, & gaudentibus Venetis ad naues deportant: & inter alia duo collocant, eadem lampadibus, & luminaribus, atque precioſis pallijs reuerenter honorant.

Inde igitur discedentes iter cęptum versus terram Sanctam persequuntur, & cum plures de Ossibus vel de puluere Sacri Corporis ex deuotione subtraxißent: omnes illi vel infirmitate varia vexati, vel duris verberibus cęsi, vel noctu terroribus agitati, quæ passi fuerant indicantes, suaque peccata Episcopo confitentes, quicquid abstulerant restituere compellebantur. Posthæc naues Venetorum ad Iope portum peruenerunt, & dimissis, qui Corpora custodirent, exercitus Hierosolymam adierũt; & à Gotifredo Rege Christianorum et Patriarcha Hierosolymitano honorificè suscepti sunt. Gentibus quoque Francorum vniti Vrbem Saracenorum Cagpham inexpugnabilem dudum obsessam obtinuerunt: aliaque plurima loca, & castra debellando cęperunt, & deinde loca Sacra circumquaque lustrantes, post plures menses ascensis nauibus repatriare curarunt. Sicque geminam palmam, Sanctorum videlicet Corporum, & Victoriæ reportantes in festo S. Nicolai, videlicet Octauo Idus Decembris ad portum Ciuitatis Venetiarum applicuerunt. Occurrentibus quoque Clericorum, et populorum turbis in Littore S. Nicolai descenderunt: & de consensu Ducis, ac populi Sanctorum trium Corpora in Monasterio S. Nicolai in eodem Littore maris sito deposuerunt; eademque Vitali eiusdem tunc loci Abbati deuotius obtulerunt.

runt. Sed antequam B. Corpora in suo loco deposita forent, per triduum omnibus in altari patuerunt, & deinde vsque ad Resurrectionem Domini subsequentẽ in medio Ecclesiæ choro dimißa sunt, ad deuotionem fidelium adimplendam. Vbi multa miracula in ęgrorum Corporibus ostensa sunt. Nam plures cæci illuminati, claudi erecti, contracti, & alij diuersis præpediti languoribus ad sanitatem reducti sunt. Dęmones quoque de obsessorum artubus effugati. Postque Sanctorum Episcoporũ Reliquiæ digna fuerunt veneratione tumulatæ in tertio Kal. Iunij euoluto anno, videlicet eodem die quo Sanctorum Corpora apud Myream Ciuitatem, vt prædiximus reperta, & inde sublata fuerant.

ANNOTATIO

Translatio, &c. Annus, quo facta est Translatio fuit M C. quemadmodũ expressimus. Quare perperam Equilinus Episcopus anno M L X X X V I. sequutam habet. At vero cum Vrbanum eius nomine secundum Pontificem, Vitalem Michaelem Venetiarum Principem, ac Petrum Patriarcham Gradensem inducat: arbitror vere annum posuisse M X C V I. Sed Typographi

phi errore decennium deficere. Secus enim verè anno eo Pontifex, Dux, ac Patriarca ijdem rerum potiebantur. Hinc Equilinum in eundem errorem incidisse, quem Dandulus quoque contraxit: nimirum annum, quo Vrbanus Pontifex ab Anonymo ad Apostolatus apicem conscendisse asseritur, eũ Translationis existimasse: non clarè Manu scripto veteri Littorensi percepto.

Cum quo palma &c. Eam nos ab Contareno Episcopo Hierosolymis asportatam cum Anonymo habuimus.

Vrbem Saracenorum Cagpham &c. Arbitror hic esse Typographi mendum. Caypham enim legendum esse ex ijs, quæ diximus constat.

Breue totius operis Chronicon.

Anni Christi	Menses	
1096	Martij 8.	Excitati Christiani milites ab Vrbano II. Pontific. ad Hierosolymas recuperandas: prius Constantinopolim pertingunt. Guliel. Tyr. lib. 1. cap. 18.
1098	Iunij 13.	Antiochia à Christianis capitur. Idem lib. 5. cap. 22. & 23.
1099	April.	Classis Veneta Ducentarum triremiū, Christianis Hierosolymorum suppetias allatura mare percurrebat. Incertum ex Anonymo quo mense. Illud post Februar. è Gulliel. Tyr. conijcio. ex lib. 7. cap. 21. & 22.
1099	Iulij 15.	Hierosolyma capitur à Christianis. Guliel. Tyr. lib. 8. cap. vltimo.
1099	Octob. 28.	Veneta classis apud Rhodon morabatur. Vbi ortus est inter Nostros, & Pisanos conflictus, victoribus Venetis. Anon. auctor. è Rhodo deinde legati ad Godofridum Regem mittuntur. Idem.
1100	Octaua	Rhodo Veneti soluunt. Myram Lyciæ

deinde

Pentecostes *deinde pertingunt. Anony. auctor.*

1100 *Maij 29. Inuentio Sanctorum Corporum Myræ à Venetis facta. Anony.*

1100 *Iunij Veneti apud Cyprum Raymundum S. Ægidij comitem obuium habent. Anony. Hunc post captas Hierosolymas Constantinopoli profectum eße habet. Tyr. lib. 9. cap. 13.*

Deinde Iopen classis Veneta peruenit. Anony.

1100 *Junij 24. Contarenus Episcopus, Ioannes Michael, ac Veneti alij Hierolymas ingrediuntur. Anony.*

1100 *Iunij 25. Episcopus idem Venetus Hierosolymis Mißam celebrat. Anony.*

1100 *Iulij Godofridus Rex moritur. Gulliel. Tyr. lib. 9. cap. 23.*

Veneti eius rei nuncium ad Iope ostium accipiunt. Anony.

1100 *Caypha Vrbs à Venetis mari, à Tancredo terris per mensem obsessa capitur: Quam Veneti Tancredo concedunt. In-*

certum

certum quo mense. Anony.

1100 *Veneti instante hieme è Palestina soluunt: ac prius Pharos insulam, vulgo Liesinam, deinde Iadram petũt: vbi ad instantiam Monachi de Reliquijs ad Littorense templum deducendis iurant. Anony.*

1100 *Decemb. 6. Classis Venetias remeans portũ ingreditur, atque intra Littorense templũ Sacra Nicolai Magni, Nicolai Auunculi, ac Theodori Episcopi, & Martyris Ossa feliciter deponunt. Anony.*

1101 *Maij 29. Sanctorum eadem Corpora intra arcam locantur.*

1282 *Maij 6. Aperitur Sanctorum eorundem tumulus, inueniunturque Sacra eorum Corpora.*


1347 *Reseratur iterum Sepulchrum, aspiciuntur turque supradictæ Reliquiæ.*

1399 *August. 11. Aperiuntur, & conspiciuntur tertiò.*

M Sepul-

1443 *Sepulchrum idem liquorem miraculosè scaturijt Tempore B. Laurentij Justiniani, Episcopi.*

1449 *Tumulus idem quartò patuit: vniuersaque illibata conspecta fuere.*



HYMNVS AVCTORIS IN FESTO SANCTI NICOLAI MAGNI EPISCOPI.



PRæſulem Magnum celebremus omnes,
Qui mari, terris, rutilatque cælo.
Fulget & noſtris veneratus aris
Munere grandi.
Ille dum naſcens luitur, ſtat, aſtra
Intuens: Dulces ſemel adſueſcit
In die bino (Noua res) Parentis
Carpere Mammas.
Soluit inceſtu iuuenis puellas
Virgines, patris miſerans egeni,
Noxiam mentem liberans & auri
Pondere Trino.
Vox ab excelſo reſonans Olympo,
Infulis Sacris decoretur, inquit:
Nempe iactatos ſubleuare promptus
Pectore miti.

Increpat noctu rigidos Tyrannos:
Tollit insontes Iuuenes periclo.
Fit mari terror: refouet liquore.
Corpora Sacro.
Sit patri summo decus, atque Nato,
Et Tibi manans ab vtroque Sancte
Spiritus cunctis tribuenda seclis
Gloria Laudis. Amen.



AD EVNDEM S. NICOLAVM Ode Dicolos Distrophos D. Augustini Lampupugnani Mediolanensis Monachi Casinensis.

QVæ mira edidit optimus
Antistes Lyciæ, pandere perbreui
Gestit metro animus. Veni
Custos æthereis sedibus aliger,
Audax ingenium adiuua.
& coeptum facili dirige opus via.
Vrbs est Regia, nobilis,
Distans Euganeis collibus haud procul,
Insignæ Italiæ decus,
Quæ Ponti liquidis insita fluctibus,
Altos respuit aggere
Muros vndisono, tuta suis aquis.
Nam pro moenibus æquoris
Vndas aerijs obtinet afflui.
Et latè Adriaci sinus
Virgo sceptra gerit nobilis aurea.
His in littoribus cubat
Quod mortale fuit Præsulis inclyti,

Clara

Clara quem Patara satum,
Myrensis populi legerat æthere
Pastorem Superum ipse Rex,
Vt dulci eloquij flumine pasceret
Commissos ouium greges,
Qui dum latiuagi turbida transmeant
Errantes pelagi vada,
Ad sedes properant sydereas Poli.
Hic supplex prece feruida,
Defixisque solo poplitibus, sacros
Illius cineres colo,
Qui viuens nituit munere gratiæ.
Quem compsit bonitas proba,
Sancta & simplicitas, & patientia;
Virtutum qui apice omnium
Effulsit, meritis clarus in omnibus,
Titan luceat vt minus
Æquali spatio, dum media die
Distant Ortus, & Hesperus.
Tres pulchro Patara vrbs corpore Virgines
Maturas habuit viro:
Sed cum Pauperie pressus ab aspera,
Infelix nequit pater
Gnatas connubio iungere nubiles,
Stirpi

Stirpi consulere, & suæ:
Illas constituit, proh pudor, impius
Turpi addicere quæstui:
Sperans inde sibi lucra pararier,
Pellat queis rabiem famis.
Tantum ferre nefas non potuit pius
Præsul NICOLEOS, viri
Ædes continuò pauperis ast adit:
Auri & pondere fulgidi
Sumpto, subsidium Virginibus parat
Conferre, & tacitus venit
Alta proijciens nocte per ostium
Aurum, post fugiens citus,
Præclarum facinus nititur abdere.
Quod mane inspiciens pater
Lætus non retinet gaudia, primaque
Vult vt iuncta puella sit
Sacro coniugij foedere coniugi.
Hac nupta in proprio lare
Auri bina iterum pondera, ceu priùs
Inuenit pater; alteras
Festinat Generis iungere filias:
Sed cum nosset hic interim,
Tanta à NICOLEO, quod sibi gratia
Sit

Sit facta (haud mora) concidit:
Atque illi meritas soluere quas potest,
Grates nititur: ipsemet
E' contra satagit condere talia:
Sat namque esse putat sibi,
Solus si ista Deus noscat, & approbet.
Iam Ponti intereà parat,
Nauis remigijs æquora findere,
Et cunabula rustica
Infantis Domini, tum loca visere,
Quæ Christi oblita sanguine,
Ingens quàm pietas illius extitit
Humanum in genus, explicant.
Cum sequire Sathan turgidus incipit,
Velans aera nubibus,
Extremis celerem finibus Africum
Aduerso citat aequore,
Conaturque ratem perdere fluctibus,
Tum natus Patara Deum
Votis, & precibus sollicitat pijs,
Vt tanto eripiat malo,
Tetri & nequitiam Dæmonis auferat,
Cum solis subito iubar
Depulsis liquidum redditur imbribus,
Et

Et dicto citius furor
Subsidit pelagi, miraque fit quies.
Necnon ventus amicior
Defessam reuocat flando ad iter ratem.
Hinc semper mare posteà
Frenauit proprijs legibus efferum.
Necnon quando humili prece
Illum quis vocitat, perficit illico,
Vt tutissima præbeat
Vastus nauigijs Oceanus vada.
Vt tandem patriam attigit,
Sacratumque caput splenduit infula,
Proh quàm sollicita, ratem,
Cura, Christicolum iuuit, & extulit!
Non sic flatibus Æolus,
Brumali horrificus tempore perfurit,
Altas sternit & arbores,
Et ramos viduat pignore frondium.
Ille vt flagitia absidit,
Et pestem scelerum strauit, & agmina
Errorum à grege depulit
Christi: multa ferens prælia Dæmoni,
Vitali arcuit aere,
Atque illum, stygijs noctibus implicans

Æternas dare compulit
Poenas Sulphureis ignibus additum.
O' quàm ille egregiè luem
Bachantem hæreticæ perfidiæ vndique
Et mortalia lurido
Foedantem penitus pectora vulnere,
Mucrone eloquij scidit,
Damnauitque nigro degere carcere.
Sed quis nunc queat edere,
Illius precibus quæ Deus egerit,
Vel quæ ipse eius amoribus
Plenus præstiterit, clauderet antequam
Illi sors melior diem,
Necnon facta fuit regia coelitum
Tanto Præsule ditior?
Autumni is numeros frondibus imprimet,
Aut amplum mare forsitan
Per parua poterit pyxide cludere,
Aut alto trahere æthere
Stellas, & radios demere Apollini.
Hinc laudes meritò illius
Latè fama volans vulgat, & explicat,
Vt præconia nominis
Tanti iam resonent auribus omnium:

Vt

Vt nec muta ſilentia,
Obſcuris tenebris obſita denegent
Tantæ præmia gloriæ,
Eius ſed titulos lætitiæ efferat
Vox, atque æra mulceat.
Omnes huc celeres Heſperiæ vltimæ,
Eoi & populi, & plagam
Algentem qui habitant, quique ſub igneo
Vitalem axe diem vident
Huc læti veniant, laudibus, & virum
Diuinum celebrent, eum
Votis ſupplicibus ſolliciti aduocent.
Nam præſens aderit, neque
Incaſſum fuerit cum prece lata vox.
Sed quid iam obſtrepo carmine,
Huic, quem nulla ſatis barbiton explicet?
Ergo conticeo, & modis
Do finem imparibus, Præſulis inuocans
Supplex auxilium: Bonus
O ſemper faueas auſpicio tuo.

FINIS.

INDEX EORVM QVÆ NOTATV DIGNIORA VISA SVNT.

in Historia Principali.



A

Arca

INDEX.

Clerici

Fan-

F

G

Gulliel-

N

O

P

R

S

Tan-

109

T

V


Quæ-


Z


FINIS.

Errores, qui præſertim irrepſere.

		Errores.	Lege.
Pag. 14.	lin. 2.	*Vetus*	*Veterem*
27.	22.	*Hieroſolymas*	*Hieroſolymis*
28.	13.	*Eam*	*Sacram*
47.	12.	*ijs*	*is*
55.	14.	*poſiti*	*potiti*
58.	9.	*Philippum*	*Ioannem*
62.	20.	*Iuſulę*	*Inſulæ*
64.	3.	*muſicentia*	*munificentia*
69.	19.	*operis*	*operi*







005646159